DE

ARTE RHETORICA

PROPRIÉTÉ DE

V. Poussielgue-Rusand

Parisiis, ex typis W. REMQUET ET Cie, via dicta Garancière, 5

DE
ARTE RHETORICA

AUCTORE

R. P. PETRO COTEL, S. J.

A. M. D. G.

SECUNDA EDITIO

PARISIIS
APUD V^{am} POUSSIELGUE-RUSAND, BIBLIOPOLAM,
Via dicta Sancti-Sulpitii, 23.

1860

AD LECTOREM

In tradendis artis oratoriæ elementis, illud profecto est optimum, ut quam plurima seligantur ejusmodi præcepta, quæ ad usum et praxim maxime pertineant. Etenim si cui cordi est tironibus in primis consulere, ille non docte, non subtiliter de hacce disciplina disseret, sed, per accuratam lucidissimamque monitorum seriem, conabitur eloquentiæ sensum in rudibus adhuc ingeniis excitare, alere, educare, alumnisque quamdam veluti clavem subministrabit ad oratorum arcana adeunda; uno verbo, curabit unice ut rhetorici præceptorum ope discant probe intelligere oratores. Hunc ego mihi sco-

pum in præsenti opusculo proposui. Singularum rerum summam attigi, quantum satis videbatur, sed præciso brevique stilo; nam si incerte et indefinite doceas, nihil tirones artis ediscent; si fuse, vagabitur illorum mens, et obruetur frustra memoria.

Multum autem abest ut omnia voluerim, aut nove, aut ex me uno præcipere. Sciebam enim artem demum esse nihil aliud, quam ea omnia, quæ longa peritorum hominum animadversione consecrata sunt; quare, ex antiquis ac recentioribus quibusque, interrogavi probatissimos, meque minime puduit excerpere quidquid ad meum propositum magis conferre ex propria experientia cognoveram. In referenda autem magistrorum doctrina, mihi quidem visus sum fecisse satis, si solos præstantissimos indicassem. Attamen hi saltem minime tacendi erant; et sane nostris documentis nimium pondus addunt illa Tullii, Quintiliani, Fenelonii nomina, ut silentio præteriri queant; prætterquam quod pauca ista quæ ex eis legentur, fortasse allicient ad uberiora quæ notavi pascua.

Jam vero diversa præcepta munivi frequenti

applicatione; sic enim sane multo melius quam alia quacumque ratione ars edoceri solet. Sed ne nimium inde excresceret libellus, ab exemplis ut plurimum transcribendis abstinui; ratus id utilius fore etiam, si remitterem ad oratores quos habent rhetorici præ manibus. Hæc ipsa enim loca illi vulgo jubentur mandare memoriæ; porro, dum facultatem tanti pretii quotidianis colunt exercitiis, accedet hic novus suavissimusque laboris fructus, ut, statim ac sine alio studio, exemplis oratoriis abunde instruantur.

Quod hæc elementa romano sermone scripsi, minime feci, ut in exoletas methodos et in aliud ævum retrogredi viderer; sed arbitratus sum hoc non parum fortassis e re solidarum disciplinarum esse, si latine traderentur. Sic enim enutrient in rhetoricis, et quidem facili negotio, usum linguæ quam tot annis non ideo certe didicerunt, ut jam tum fere penitus desuesceret. Nitide autem ac breviter exposita arripientur nullo addito conatu. Quid vero! cum summorum hujus artis magistrorum auctoritatem ubique ferme spondeo, nonne decet eos a me produci propria lingua docentes, tum ut vim

omnem verborum suorum ipsi tueantur, tum ut animos ediscentium attentiores dociliores que faciant? Cæterum discipulus, dum id solum attingit, quod in arte succi plenius est, hoc idem lingua materna reddet pari facilitate ; nihil autem obstabit, imo conferet plurimum, si magister ipse vulgari sermone singula enucleare curet.

DE

ARTE RHETORICA

PROŒMIUM.

Antequam ad ipsam præceptorum expositionem accedamus, juvat nonnulla præmittere 1° circa eloquentiam, 2° circa artis oratoriæ tractationem.

I. De Eloquentia.

Eloquentia definitur a Tullio, Partit. orat., c. 23, *copiose loquens sapientia;* pauca verba equidem, sed meditatione dignissima.

Primum enim, nomine *sapientiæ* veteres intelligebant rerum ac veri cognitionem ; unde ostendit Tullius quam latus huic rei campus patere possit ; sed judicabat præterea optime magnus ille orator veritatem rationemque quasi fundamentum quoddam esse debere, cui, si styli copia tum ad ornamentum, tum ad vim accederet, ex-

surgeret illa genuina, eademque animorum domina, Eloquentia.

Igitur ex nobili ista definitione jam significatur 1° quænam sit eloquentiæ materia, quidquid scilicet mente humana attingi potest. Non enim habet eloquentia definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur, nihilque omnino est in rerum natura, de quo apte disputare non possit. Cic., de Orat., L. II, c. 2. Quidquid autem *verum, utile, honestum* est, quidquid ad Religionem, resve publicas, scientias et artes pertinet, id eloquentia pro suo jure vindicare atque tractare potest. 2° Quæ ejusdem dignitas et præstantia, cum hunc finem habeat, ut veritatem tueatur. Unde Tullius, *Orator*, c. 4 : Positum sit in primis, inquit, sine philosophia non posse effici oratorem.

Hæc autem verba, *copiose loquens,* recte velim intelligas, neque putes illam semper optimam esse eloquentiam, quæ amplis buccis grandia magnumque sonantia effundit undique. Non raro enim laudabilior illa est, quæ valet arte, insinuatione, luce rerum. In genere nihil aliud intendat oportet illa dicendi copia, nisi *ut veritas pateat, ut veritas placeat, ut veritas moveat* (S. Augustinus, de Doctrina christiana, Lib. IV, c. 61).

Differt plurimum is qui eloquens est, ab homine diserto ; huic enim satis est si stylo facili, emendato, eleganti dicat ; ille vero addit vim sententiarum, animi motus, orationis dignitatem ; unde M. Antonius, apud Tullium, *Orator,* c. 5, disertos aiebat se vidisse multos, eloquentem vero neminem.

Eloquentiam qui possidet *orator* dicitur. Est vero orator, definiente Tullio, *vir bonus dicendi peritus.*

Ac primum quidem debet esse *vir bonus.* Nam, ut graviter observat Fénélon : *L'homme digne d'être écouté est celui qui ne se sert de la parole que pour la pensée, et de la pensée que pour la vérité et la vertu (Lettre à l'Académie).* Sed in quo plene consistat illa *bonitas*, vide infra, ubi de moribus oratoriis.

Dicendi autem *peritia* quænam illa sit, apparebit ex oratoris fine et officio.

Finis oratoris est *persuadere dictione;* id est, non tantum menti demonstrare quid verum, bonumve sit, sed animum etiam impellere ad aliquid vel credendum, vel agendum, vel omittendum : ex quo facile colligas quid orator, ultra id quod philosophus, præstare debeat. Ille scilicet imaginandi vim et affectus adjungit argumentis, ut animum ex omni parte circumveniat, integrumque de illo triumphum agat.

Oratoris officium est *accommodate ad persuadendum dicere.* Porro nunquam persuadebit, nisi auditoris mentem primum argumentis convincat, atque animum etiam affectibus excitet. Quoniam vero nemo se docendum aut movendum permittere solet quin delectetur; hinc officium oratoris in *docendi, delectandi, movendi* partibus continetur. Qua de re breviter et egregie Tullius, *Orator*, c. 21 : Probare necessitatis est ; delectare, suavitatis ; flectere, victoriæ.

Quibus subsidiis comparatur eloquentia ?

R. Quatuor : Natura, Arte, Imitatione, Exercitatione.

1° De Natura et ingenio.

Natura primas sane in obtinenda eloquentia partes occupat. Illius enim est conferre ei qui vult dicere, ex parte quidem mentis, sanum judicium, acumen ingenii, vim argumentationum ; ex parte vero animi, motus sive lenes ad delectandum, sive acres ad movendum ; ex parte demum corporis, latera firma, vocem plenam ac suavem, aptamque oris ac totius corporis conformationem. Vide Cic., de Orat., L. I, c. 25 initio, et c. 28 in medio.

2° De Arte.

Attamen ad plenam perfectamque eloquentiam non minus fortasse opus est arte quam natura ; de oratore enim plus etiam valet in quod de poeta scripsit Horatius, Arte poetica :

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium. Alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.

Et sane vis ingenii, si sola sit, non habet impetus nisi inæquales, eosdemque raros et interruptos. Imo ni regatur arte, solet esse cæcorum instar, qui in incertum feruntur. Quod facile constat experientia ; pauci enim, ait Tullius, et si magnis ingeniis præditi, sine arte sunt eloquentiam assecuti. Vide Quintil., L. IX, c. 4, n° 1.

Ad artem igitur pertinet naturam maxime perficere, per præcepta scilicet longa doctorum animadversione

usuque comprobata. Nam, ut Tullius inquit, hæc ars tota dicendi, sive artis imago quædam et similitudo habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet ; verum ut ea quæ sunt orta jam in nobis et procreata, educet atque confirmet. De Orat., L. II, c. 87.

Et quamvis artis ipsæ regulæ natura et experientia innitantur, eas tamen supplere vix posset satis solum oratorum commercium. Exemplaria enim, quantumvis illustria, non afferunt lucem nisi quibusdam viæ partibus ; dum econtra præceptorum est, omnes quasi faces colligere sparsas, quibus integrum iter collustretur.

Hoc autem valde notandum est, illud esse in arte ediscenda præcipuum, non ut ejus regulæ per inanem cognitionem teneantur, sed ut ipse earum hauriatur et spiritus et usus. Ad quod non pervenient eloquentiæ studiosi, nisi magnos simul oratores manu versent indefessa, in iisque artem deprehendere satagant.

Quanquam, et iis qui nihil fere aliud intendunt, quam judicium de oratoriis operibus statuere, non parum inserviet artis studium ; ut scilicet dignoscere certo valeant quo jure sensum aliquem in se ipsis aliena excitet eloquentia.

3° De Imitatione, sive de oratorum lectione.

Dubitari non potest quin artis pars magna imitatione contineatur. Quint., L. X, c. 2. Imo eloquentia usu potius, et oratores legendo imitandoque, quam nudis præceptis comparanda est. Rhetores enim non tradunt nisi regulas, quibus definiunt, præcipiunt, ac monent in genere ;

indicant facilius quid cavendum, quam quid agendum sit; efficaciores vero adsunt magistri oratores, qui arma tractant ipsi in acie, et quomodo sit pugnandum, exemplo docent suo. Et hercle, ait Quintil. ibid., necesse est aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura præstat, frequenter imitatio.

Sed quinam imitandi, et qua ratione?

Primum quidem, diu non nisi optimus quisque, et qui credentem sibi minime fallat, legendus est. Ita Quintil., L. X., c. 1; et Horatius, Epist. L. I, ep. 2:

> . . . Nunc adbibe puro
> Pectore verba, puer; nunc te melioribus offer.

Tu ergo a mediocri quolibet, aut non satis probato exemplari cave, *mox daturus progeniem vitiosiorem.* Item periculose imitaberis eos auctores in quibus mala bonis commixta sunt; fit enim ut tirones speciosis ambitiosisque defectibus alliciantur facilius, quam iis rebus quæ rite ac sincera pulchritudine inter se consentiunt. Lege Quintil., de dulcibus vitiis Senecæ, L. X, c. 1, in fine, et L. XII, c. 10, § 4, circa finem.

Deinde multum legendum, non multa, ait Plin. Jun., Ep. VII. Est etiam monitum istud gravissimi viri: *De deux hommes également favorisés de la nature, celui qui réussira le mieux dans l'art d'écrire, et qui aura surtout la manière la plus originale, sera celui qui aura lu le plus souvent un petit nombre d'excellents ouvrages, et moins d'ouvrages médiocres.* (De Bonald.)

Quod suis sane exemplis comprobant celebratissima quæque ingenia.

Porro tu illud Fabii adverte : « Ille se profecisse sciat cui Cicero valde placebit. » Quod dicendum etiam est de Demosthene, Livio, Bossuet, etc.

At plurimi facienda pariter est tironibus poetarum lectio. Orator, inquit Petronius,

. . . Det primos versibus annos,
Mæoniumque bibat felici pectore fontem.

A poetis enim et in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur. Lege Quintil., L. X, c. 1, et Tullium, de Orat., L. I, c. 34.

Qua vero ratione imitandum est?

Primum respondebo optimos quos diximus auctores, imitandos esse non pueriliter, non serviliter ac putide, more fucorum ; ad tales Horatius : « O imitatores, servum pecus ! » et Lafontaine :

N'attendez rien de bon du peuple imitateur,
Qu'il soit singe, ou qu'il fasse un livre....
La pire espèce, c'est l'auteur.

Vide Quintil., L. X, c. 2, § 2, de prava imitatione.

Sed datur etiam nobilis quædam imitandi ratio ; cum scilicet fit intelligenter et ingeniose, teste eodem Lafontaine, qui alios imitando fuit profecto sui simillimus :

Mon imitation n'est point un esclavage:
Je ne prends que l'idée et les tours et les lois
Que nos maîtres suivaient eux-mêmes autrefois;
Si d'ailleurs quelque endroit chez eux plein d'excellence
Peut entrer dans mes vers sans nulle violence,
Je l'y transporte, et veux qu'il n'ait rien d'affecté,
Tâchant de rendre mien cet air d'antiquité.

In primis itaque piraticam apud veteres exercere laudabile est, ut nostra eloquentia eorum ditescat spoliis. Sed et apud alios prædari etiam prudentis est, ut quod in quoque optimum est, suum faciat. Quare si vis recte aliena imitari, fac ut res jam omnino tibi propria esse videatur; cave autem, id quod facile accidit, ne ea quæ egregia in alio erant, in tuis pallescant manibus, aut etiam risum moveant. Econtra, conaberis aliquid supra eum quem imitaris. Exempli gratia, dixerat oratorie Tullius: « Virtus est una altis defixa radicibus, quæ nulla « unquam vi labefactari potest; » vide ut Horatius poetice eamdem ornaverit sententiam: « Justum et tenacem, etc. » Odarum L. III, ode 3 (1).

Tironi autem, ubi primos nisus experitur, proderit, si locum insignem alicujus oratoris transferat ad alium sensum, eadem ferme servando verba; si figuras, periodos, commissuras potius, quam verba, ac sententias imitetur; si propositum exemplar vel in pauciora contrahat,

(1) Demosthenem, exord. pro Corona, Tullius imitatur in exordio pro Muræna. — Item Philippica XIV, in orat. funebri militum. — Bossuet, Or. fun. de Condé, *Repos de ce héros à Chantilly*, imitatur Ciceronem, orat. pro Marcello, n. 9.

vel dilatet uberius ; si solerter orationem solutam in numeros, aut vicissim transferat, etc.

Quanquam cavendum sane est ne, alios imitandi studio immodico, usque eo ducamur, ut nostra repudiemus, omniaque velut ex alieno ore loqui velimus : quæ magna servitus est et ingenii contractio.

Ast ubi juvenes exemplaria optima sedulo ac diu tractaverint, sic assuescent rebus optimis, ut semper habeant intra se quod imitentur. Etiam non sentientes, formam illam quam mente penitus acceperint, exprimeut : abundabunt autem copia verborum optimorum, et compositione ac figuris. Hæc Quintil., L. II, c. 8. Neque profecto ita imitantibus sua deerit propria indoles, suus stylus, sua denique natura; ea enim est ars vera imitandi, ut eximiorum auctorum ingenia suopte quisque ingenio valeat inflectere. Ita præclarissimi quique viri, et qui maxima creandi vi pollere existimantur, antecessorum vestigiis insistere soliti sunt ; vim autem illam creandi exercebant in perscrutanda natura, in explicandis ac dilatandis rerum singularum adjunctis.

4° De Exercitatione.

Est exercitatio assiduus usus consuetudoque dicendi (Ad Herenn., c. 2). Quid autem ad eloquentiam conferat, satis apertum est ; nempe conservat atque auget ea, quæ ars expolivit in natura ; *fiunt* enim *oratores*, labore scilicet et conatibus ; et multi naturæ vitium etiam sustulerunt exercitatione. Vide Quintil., L. X, c. 1, § 1.

Exercitatio complectitur 1° lectionem rerum pro materia. Dicere enim de aliqua re, quin mens certis quibus

caret notionibus satis instructa sit, stultitiæ et impudentiæ est. Præceptum, ait Tullius, non tam acutum quam necessarium est, ut quascumque causas erit acturus, eas diligenter penitusque cognoscat. De Orat., L. II, c. 24.

2° Meditationem, videlicet ut sumatur spatium ad cogitandum; sic enim securior et ordinatior erit, imo brevior etiam elucubratio.

3° Scriptionem, eamque frequentem, cum stylus, teste Tullio, sit optimus et præstantissimus dicendi effector et magister. De Orat., L. I, c. 33.

4° Denique emendationem, qua scilicet ea quæ primo calore effudimus, in aliquod tempus reposita, tanquam aliena legamus, damnando quæ male placuerant, inveniendo quæ fugerant. Juxta Quintil., L. X, c. 3, § 2 et § 3, redeundum est ad judicium, et retractanda suspecta facilitas... At, licet curandum sit ut quam optime dicamus, dicendum tamen pro facultate, neque juvat in silentium usque descendere, nimia benè dicendi cupiditate; ac profectum enim opus est studio, non indignatione.

II. De Artis oratoriæ Tractatione.

Rhetorica etymon habet a verbo ῥέω, *fluo*, ac metaphorice, *fluide* seu *copiose loquor*. Hinc ῥήτωρ, *orator*. Latine autem differt *rhetor* ab *oratore* in hoc, quod prior tradit præcepta artis oratoriæ, posterior ea præcepta in actum usumque deducit.

Jam vero ars oratoria, ῥητορικὴ (subaudita voce τέχνη) definitur *ars bene dicendi*, sive paulo fusius est *earum præceptionum complexio, quibus, in dicendo apte ad persuadendum, informetur ac dirigatur orator.*

1° Rhetoricam Tullius aliique vocant *artem;* eam nonnulli volunt esse *scientiam:* rem hic longius discutere nullius fere utilitatis est. Hoc unum dicam; ars est collectio regularum quæ ad aliquod opus exsequendum dirigant; scientia vero solam rerum cognitionem spectat: rursus, ars nititur experientia, scientia autem principiis evidentibus; jam vero rhetorica opus regit oratorium, neque rebus penitus cognitis innititur, sed experientia, usu, observatione, ut infra dicemus: ars igitur potius vocanda est; quamvis ipsa, sicut artes aliæ, quasdam prærequirat scientias.

2° Rhetorica dicitur ars *bene dicendi;* quibus verbis includitur quidquid jam diximus de fine et officio oratoris.

Quæres unde enata sit ars oratoria ?

Non eloquentia ex artificio, inquit Tullius, de Orat., L. I, c. 33, sed artificium ex eloquentia natum : et quemadmodum lingua quælibet ante grammaticam cœpit existere ; ita initium artis, observatio. Quintil., L. III, c. 2.

Enata est itaque ars ex animadversione naturæ, sive eloquentia naturalis. Cum enim alii, sola duce natura, bene, alii autem male cœpissent dicere, adfuerunt qui

discrimen illud animadverterent, quique hujus rei causas indagarent attentius ; inde efformati oratores alii, qui priores dicendo superarunt, et ex ipsis nova lux accessit oratoriæ disciplinæ. Ita re omni paulatim ad artem redacta, antiquos scriptores artis, usque a principe illo atque inventore Tisia [1] repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles, ordinemque præceptionum vocavit *Rhetoricam.* Vide Tullium, de Invent., L. II, c. 2.

Artis oratoriæ præcepta sunt alia generalia, seu cuilibet eloquentiæ generi communia ; alia particularia, sive singulis generibus propria. Hinc duplex rhetoricæ tractatio esse potest ; nobis in hoc libello satis erit de præceptis generalibus dicere.

[1] Antiquissimi scriptores hujus artis, Tisias et Corax, Siculi. Lege Quint., L. III, c. 1, § 2.

PRÆCEPTA RHETORICÆ

GENERALIA.

Præceptis generalibus docet rhetorica quodcumque ad dicendum apte quaque de re pertinet, adeoque tradit regulas ad effingendam cujusvis generis orationem.

Oratio (*oris* vel *orantis ratio*) est artificiosa argumentorum enumeratio, quæ affectuum ope, ad persuadendum sit accommodata.

Jam vero ad id tria videnda sunt oratori cuilibet: 1° *quid dicat*, quod pertinet ad *Inventionem;* 2° *quo* quidque *loco* dicat, quod est *Dispositionis;* 3° *quo modo* dicat, quod in *Elocutione* versatur; et quoniam hic agimus de eo qui publice etiam verba facit, 4^{um} addi oportet, *qua* scilicet *externa ratione* dicat, quod *Actionem*, seu *Pronunciationem* continet.

Hinc partes quatuor; quarum, licet ordine prima sit inventio, cum tamen verborum delectum tirones ante alia observare debeant, ab elocutione ducemus præceptorum initium.

PARS PRIMA

DE ORATORIA ELOCUTIONE.

Quidquid jam in humanioribus litteris tractatum de elocutione in genere, seu de stylo, fuit, hic nos supponimus plane cognitum; idcirco pauca quædam tantum addemus, quæ magis propria oratoriæ arti videbuntur.

Elocutio oratoria est idoneorum verborum ac sententiarum ad res inventas dispositasque accommodatio. Ad Herenn., c. 2.

Tanti momenti est elocutio in oratore, ut ab ejus voce nominata sit ipsa eloquentia. Oratorem, inquit Tullius, hoc uno excellere: cætera in eo latere, indicat nomen ipsum. *Orator*, c. 19.

Porro sua est oratori elocutio, quæ nec philosophorum est, neque poetarum. Philosophi enim docendi causâ, non capiendi, loquuntur. Horum oratio neque nervos, neque aculeos habet; mollis est et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum; casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Res curat, non verba; plus sententiis valet quam figuris; in probando tota est; nec erumpit in affectus, nec vim imaginandi exerit: itaque sermo potius quam oratio dicitur. Vide Cic., *Orator*, c. 19, 20.

Poetæ autem oratoribus, versu, non numero differunt; ipsis major licentia est, præsertim in troporum usu;

tum etiam aurium voluptati, vocibus magis quam rebus, inserviunt. Poeseos et eloquentiæ æqua virtus in affectibus; sed prior plus tribuit imaginandi vi, rationi posterior. Vide Quintilian., L. X, c. 1.

Cæterum, inter oratorum elocutionem ac poetarum justos limites ponere, non ita sane facile est. Quam enim poetice dicunt interdum Cicero, Massillon, persæpe vero Bossuet; econtra quantum eloquentiæ passim in Homero, Marone, Corneille, Racine [1]! Vide Cic., de Orat., L. I, c. 16.

Jam vero ut ea attingamus, quæ magis conferre queunt ad oratoriam elocutionem, dicemus 1° de oratorio Numero, 2° de Figurarum usu, 3° de Styli oratorii convenientia et unitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De oratorio Numero.

Juxta Tullium, distinctio et æqualium ac sæpe variorum intervallorum percussio, Numerum efficit.

Est igitur Numerus, sonus quidam seu concentus orationis, qui e permistis pedibus, et apta longarum breviumque compositione, nascitur.

Differt autem oratorius numerus a poetico in hoc, quod in oratione nullomodo certus est nec veluti recidivus, qualem in versu deprehendis. Sic, verbi gratia,

[1] Cic., pro Marcello, n° 28, 29; — et pro Archia, n° 19. — Massillon, Sermon de l'Avent sur la mort du juste et du pécheur. — Bossuet, Sermon sur la mort.

numerus in carmine heroico, dactylis spondæisque semper et uniformiter constat; in exordio autem orationis pro Marcello, pro Milone, etc., reperis numerum liberiorem, et qui diversorum pedum permistione conficitur.

Ex hac autem idonea modo brevium, longarum modo collocatione oritur in primis elocutionis suavitas. At plurimam etiam inde trahunt opem oratores, tum ad sententiarum (1), affectuum (2), imaginum (3) significationem, tum vel ad pronunciandum. Si enim sententia aut longior sit aut male distributa verbis, non solum audientium mens et aures fastidient, sed oratoris ipsa exhaurientur latera, et vox idonea vi carebit. Vide Cic., *Orator*, c. 68, 70, 71; et Quintil., L. IX, c. 4, n° 1.

Etiam in linguis nostratibus, etsi syllabarum quantitas minus exacte definiatur, norunt boni oratores numerose dicere.

Ita Fléchier, *Oraison fun. de la Dauphine, exorde :* « *Ne vous semble-t-il pas qu'elle vous dit d'une voix* « *mourante : La lumière de mes yeux s'éteint, un nuage* « *sans fin s'élève entre le monde et moi : je meurs, et* « *je m'échappe insensiblement à moi-même? Tristes* « *moments! Terme fatal de ma languissante jeu-* « *nesse* (4)! » Vide Batteux qui, c. IV, hanc constructionem perpendit.

(1) Bossuet, Orais. fun. de la reine d'Angleterre : *Quand Dieu laisse sortir du puits de l'abîme...*

(2) Ibidem : *Les enfants de Dieu étaient étonnés de ne voir plus ni l'autel...*

(3) Ibidem : *O voyage bien différent de celui...*

(4) Fléchier, Exorde de l'oraison funèbre de Turenne, et mort

At quoniam numerus apud Latinos Græcosve splendidius apparet, ibi eum investigare fructuosius erit.

Audi Tullium, Philippica 2ª, nº 1 : « Te miror, An-« toni, quorum facta imitere, eorum exitus non per-« horrescere. » Et pro Marcello, nº 8 : « Nulla est enim « tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique « possit. » Vide etiam exordium orationis pro Marcello. In his omnibus si tentes verba solvere, vel peribit, vel in pejus mutabitur numerus. Idem experiri potes apud Bossuet, Exorde de l'or. fun. de la reine d'Angleterre.

Plurima docet Cicero de hac materia, *Orator*, c. 55, etc.; nos pauca, et ad id solum, ut juvenes de praxi consulant oratores.

Sic iambus (◡-) promp | tŭs ēst et a | lăcĕr | ; stȳlŭm | simplĭcēm | dĕcĕt.

Spondæus (--), gravis; ad mājēs | tātēm | ēt vīm.

Dactylus (-◡◡) et creticus (-◡-), ampli; sublīmĭă amant amplitūdĭnēm | dāctȳlī. Quintil., L. IX, c. 4, § 7.

Molossus (---) vastus et īnflātūs: *rōmānūm*.

Pæon (-◡◡◡ / ◡◡◡-), splendens āc răpĭdūs; *cōnfĭcĕrĕ, cĕlĕrĭtās*.

Dichoreus (-◡-◡), dignĭtātĕ plēnūs; *cōmprŏbārĕ* (ex duobus choreis seu trochæis).

Dochmius (◡--◡◡) firmus et constans: *pĕrhōrrēscĕrĕ* (δόχμιος, *sinuosus*, ex iambo et dactylo).

Orationem claudunt aptissime

de ce héros. — Massillon, Sermon sur le jugement dernier, l'exorde.

1° Creticus cum dichoreo : *Cum victoria et ex | ĕrcĭtū | cōnfĕrātīs.*

2° Tribrachys (⏑⏑⏑) cum spondæo : *Es | sĕ vĭdĕ | ātūr, jucunditas | que săpĭ | ēntī.*

3° Iambus et dispondæus : *Ejus gloriam per tales | | īnfrīngēndām.*

Porro vides alios sæpissime pedes ad poeticum numerum, alios ad oratorium postulari. Lege Tull., *Orator*, c. 58.

Hanc in rem totam duo præcipit optime Quintilianus :

1° Felicissimus, inquit, sermo est, cui et rectus ordo, et apta junctura, et cum his numerus opportune cadens contingit. Quint., L. IX, c. 4., n° 2.

2° Sic fere componendum, quo modo pronuntiandum erit (ib., n° 7) ; aurem scilicet interrogando, quid recte sonet, quid non.

Cæterum in numeris exquirendis, non debet utique minuta aut operosa esse omnis diligentia ; aliquid tamen observasse perutile juvenibus erit, ut incipiant aures numero assuefacere. Lege Cic., de Orat., L. III, c. 49.

Caveant autem ne uno semper eodemque sono suas quasi nænias modulentur ; sed omni ratione et ope discant variare numeros, adsintque etiam identidem quædam veluti dissonantiæ, quarum felici occursu dulciores soni præparentur. In universum autem, ait Quintil., L. IX, c. 4, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effeminatam et enervem.

Ex Periodis maxime numerus enascitur.

De Periodo.

Periodus (a voce græca περίοδος, *circuitus*) est oratio brevis et absoluta, quæ certis partibus a se invicem pendentibus, ita numerose comprehenditur, ut sensus a primo membro suspensus, in ipso tantum fine perficiatur et conquiescat.

Ex. g. (ex oratione pro Marcello, n° 8) : « Animum « vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare ; « | adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, « non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare « ejus pristinam dignitatem : || hæc qui facit, non ego « eum cum summis viris comparo, | sed simillimum « Deo judico. »

Quatuor igitur in periodo servanda sunt : 1° ut sententia sensum habeat absolutum ; 2° ut membra inter se cohæreant, in modum veluti cameræ, cujus lapides omnes se communi vinculo et continuatione sustentant ; 3° ut sensus non nisi in ultimo fine compleatur ; 4° maxime ut numerose omnia verba profluant, sintque opportuna longarum ac brevium intervalla, justa membrorum dimensio, varia incisorum quies.

Constat periodus membris et incisis.

Membrum (græce κῶλον) est pars periodi, sensum habens utcumque perfectum, suspensum tamen, et ex reliquo periodi sensu dependentem.

Solet circiter esse tot syllabarum, ut hexametro respondeat et unica spiritus emissione proferri queat.

Incisum (græce κόμμα) est pars membri, imperfecta sensu ; ita vocatur, eo quod, numeri gratia, quasi *cædit* orationem. Non solet extendi ultra decem circiter syllabas. Exempla vide Cic., in orat. pro Marcello, nº 9.

Periodus datur multiplex : alia *bimembris*, seu δίκωλος; ex. vide Cic. in orat. pro Lege Manilia, nº 2. « Ita neque hic locus, » etc., et Bossuet, Or. fun. de la reine d'Anglet. : « *Quelque haut qu'on puisse remonter,* » etc.

Alia *trimembris* sive τρίκωλος : ex. vide ibid., nº 1, « Nam cum antea, » etc., et Bossuet ibidem : « *En effet quand les princes, négligeant de connaître,* » etc.

Alia *quadrimembris*, seu τετράκωλος : ex. apud Fléchier, Orais. fun. de Turenne : « *Si M. de Turenne* « *n'avait su que combattre et vaincre ;* | *s'il ne s'était* « *élevé au-dessus des vertus humaines ;* | *si sa valeur* « *et sa prudence n'avaient été animées d'un esprit de foi* « *et de charité ;* || *je le mettrais au rang des Fabius et* « *des Scipions.* »

Et Tullius pro Milone, nº 1 : « Etsi vereor, » etc.

Periodus quadrimembris, si coalescat membris æqualibus ac sibi invicem respondentibus, dicitur *quadrata* seu *rotunda*. Ex. vide Cic., in orat. pro Cœcina : « Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, | tantum « in foro atque judiciis impudentia valeret ; || non minus in causa cederet Aulus Cœcina Sexti Æbutii impudentiæ, | quantum in vi facienda cessit audaciæ. » Et Bossuet : « *Comme on voit une colonne*, » etc. Or. fun. de la reine d'Angleterre.

Oratio, cum quatuor membra excedit, dicitur potius *oratio periodica* [1].

Præter membra periodi, animadvertenda est etiam pars in periodo duplex : *antecedens*, seu πρότασις, in qua oratio crescit quodammodo et attollitur ; *consequens*, sive ἀπόδοσις, in qua deprimitur donec tandem conquiescat. Vide superius, ubi duplex linea verticalis.

Ad nectenda membra periodi, quædam inservire solent particulæ, quales sunt : *Etsi... tamen. Quemadmodum... ita. Si quid... cum... illud sane... ubi* (pro quadrimembri), etc. Innumeras, oratores pervolvendo, hujusmodi formas deprehendes.

Vitiosa est autem periodus, si aut non decenter compta sit, aut siccum sonet ; si obscura aut longior ; si referta verbis inanibus, quæ numero tantum serviant. De periodis, lege Tull., *Orator*, c. 66.

Ubi periodice dicit orator, cavere debet ne periodi pari numero, parive ædificatione constent ; sed oportet longiores brevioribus apposite commisceri.

Utuntur periodis oratores, ubi res copiosa est et graviter amplificanda ; vel quando genus dicendi suave est ac temperatum ; maxime autem in exordiis. Lege Cic., *Orator*, c. 62.

Ad numerum orationis, etiam extra periodum, usurpantur frequentissime tum membra, tum incisa.

Membratim dicere est, cum membris coalescit oratio,

[1] Cic., pro Lege Manilia, n° 2 : « Nam si unquam... » — et n°ˢ 72, 73, 74, 75. — pro Archia, n° 14.

quin tamen sint periodis illigata. Ex. : « Hunc principem « natura finxit ad regnum, | virtus ad pietatem eru- « divit, | fortuna evexit ad solium, | fortitudo victo- « riis ingentibus coronavit. » Si hæc membra junxeris aliquo vinculo, periodum confeceris : « Hunc principem « non modo natura finxit ad regnum, virtus ad pieta- « tem erudivit, fortuna evexit ad solium ; sed etiam vic- « toriis ingentibus fortitudo coronavit. »

Hoc dicendi genus ad pompam orationis inservit, item ad narrandum insigniter, et ad plenos motus ([1]).

Incisim dicit ille qui orando singula frequentat incisa. Ita Cic. pro Archia, n° 17 : « Hæc studia adolescentiam alunt, » etc. ([2]).

Usurpabitur hoc genus dicendi, ubi acriter erit et instanter pugnaciterque dicendum ; sed ad varietatem numeri oratorii, misceri sæpissime solent membra cum incisis ([3]). Vide Tull., *Orator*, c. 66, 67 ; et Quint., L. IX, c. 4, n° 7.

Hæc de numeris ; neque tamen eo dicta sunt, quo tirones, relicto rerum pondere, in demetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescant (Quint., L. IX, c. 4), quod sane nec magni nec felicis foret ingenii ; sed ut excitare incipiant in se numerose dicendi facultatem

([1]) Cic. pro Lege Manilia, n°s 29, 30. — In Verrem de Signis, n° 64. — Pro Milone, n°s 16, 18. — Massillon, Sur le petit nombre des élus : 1re partie, 1er alinéa.

([2]) Cic., pro Muræna, n° 19. — Bossuet, Exorde pour la duch. d'Orléans : *Non, après tout ce que nous venons de voir*, etc.

([3]) Cic., pro Muræna, n°s 20 et 21. — Fléchier, pour la Dauphine, Exorde : *Il regardé sa vie*, etc.

et eam ex optimis oratoribus educent : in iis enim invenient numerum ubique sententiis consonum, et sentient ipsi id quod de se Tullius aiebat : « Ut qui in sole ambulat sensim coloratur ; ita cum istos libros (Græcorum) legerim, sentio orationem meam illorum quasi tactu colorari. » De Orat., L. II, c. 14. Interim vero attendant quid hac de re tota moneat Fénélon : *L'harmonie qui ne va qu'à flatter l'oreille n'est qu'un amusement de gens faibles et oisifs ; elle n'est bonne qu'autant que les sons y conviennent au sens des paroles, et que les paroles y inspirent des idées justes, des sentiments vertueux. (Dialogues.)*

Vide Cic., *Orator*, c. 50, etsi loquatur ille contra eos qui numerum despiciunt; et ibid. c. 68.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Figurarum usu.

Figuræ oratoriæ nihil aliud sunt quam dicendi quædam formæ, quas vel mens perite excogitat, ut suas probationes aptius exponat ; vel imaginandi vis procreat, ut rebus incorporeis colorem et quasi corpus addat ; vel suggerit commotus affectibus animus, ut afficiat alios. Cum igitur officium oratoris sit, ut doceat, delectet, flectat ; hinc illi sæpe necesse erit triplex illud figurarum auxilium invocare.

I. Figuræ quæ ab intellectu potissimum ortum habent.

Orator, ubi concertat ratione, nihil non faciet, quo ad-

versarium vel impetat, vel fugiat, vel eludat. Modo prior ipse per *Subjectiones* et *Occupationes* ([1]) hostem præveniet; modo per *Concessiones* ([2]) pedem referet, ut e meliori loco redeat ad pugnam, aut etiam ut appareat quantum causæ confidat suæ; modo simulabit se errare, vel deficere, ut ictus vehementiores præparet per *Correctiones* ([3]). Finget se velle omittere multa, quæ tamen brevi recensebit; atque hujusmodi *Præteritionibus* ([4]), nec minuet ea quæ videtur reticere, roborabit autem ea quæ palam ostentare velle profitetur. *Enumeratio* ([5]) coacervabit minuta illa argumenta, quæ seorsim quidem imbecilla, valebunt tamen congerie; *Gradatio* ([6]) tum verborum, tum sententiarum, viam paulatim aperiet ad victoriam; *Comparatio* et *Antithesis* ([7]) res rebus opponendo, eas invicem illustrabunt, ornabunt; cum

([1]) Cic., Philipp. II, n° 2. — Pro Muræna, n^{os} 58, 67.—Pro leg. Manil., 61. — Orator L. Crassus, teste Tullio, de Orat., II, c. 55.

([2]) Cic., pro Ligario, n^{os} 1, 2.

([3]) Fléch., après avoir vanté la noblesse de Turenne: *Mais que dis-je...?* — Boss., pour la duch. d'Orl.: *La grandeur et la gloire!...* — Cic., pro Mil., 20.

([4]) Cic., pro lege Manil., 48. — Pro Ligar., 38.—*Est-il besoin, Nabal, qu'à tes yeux...?* (Athalie.) — Fléchier, pour Turenne: *N'attendez pas, Messieurs...*

([5]) Bossuet, pour la reine d'Angl., exorde: *Vous verrez dans une seule vie...* et dans Athalie, 1re scène: *Faut-il, Abner...?*

([6]) Cic., pro Mil., n° 61. — Cic, pro Roscio Amer. XXVII: *Ut non omnem frugem...* — Cic., in Verr. de Suppl., n° 170.— I^{a} in Catilin., n° 26.

([7]) Cic., pro Lig., 16; antithesi mire utitur. — Horat., L. IV, od. 3^{a}. — Bossuet, Or. fun. de la duch. d'Orl., péror.: *Qu'attendons-nous pour...?* — Bossuet, Or. fun. de Condé: *Loin de nous les héros sans humanité...*

prudenti cautela providebit aut *Litote* (¹), aut *Euphemismus* (²), ne tristia, dura, ingrata displiceant, benevolentiamque restinguant ; *Suspensio* (³) excitabit animos, eosque invadet ex inopinato ; ipsos denique judices, auditores, adversarios coget præfidens *Communicatio* (⁴), ut ea quæ æqui bonique sunt palam fateantur.

II. Figuræ quas creat imaginandi vis.

Dum vero orator intellectum lacessit, imaginum simul ope sua fulciet argumenta : ita *Similitudines* (⁵), *Translationes* (⁶), *Allegoriæ* delectabunt animos, illustrabunt abstrusa, ornabunt arida ; *Hypotyposis* (⁷) adeo graphice describet, ut auditor rem veluti sub oculis positam videre sibi videatur ; *Prosopopœia* (⁸) adhuc audacior, quasi scenam in orationem inducet, ubi absentes aut mortui voce contendent ; ubi ipsa inanimata personam agent, loquentur, audient, perinde ac si vita, sensu, cogitatione donata fuissent.

(¹) Cic., pro Arch., 1. — Philipp. IIª, 2. — Themistocles, apud Herodot., L. VI, suadet Atheniensibus *ut urbem apud Deos deponant,* inquit, non *ut urbem deserant.*

(²) Cic., pro Mil., n° 29 in fine.

(³) Cic. in Verrem de Suppl., nᵒˢ 9, 10, 11. — Bossuet, Or. fun. de la reine d'Angl., pérorais. : *Combien de fois a-t-elle en ce lieu remercié Dieu...?*

(⁴) Cic., pro Mil., 33, 34. — Iª in Catilin., 15 et 16.

(⁵) Demosth., pro Corona, comparat se navarcho, parte IIª.

(⁶) Cic., pro Lig., n° 7. — Cic., IVª in Catilin., 6° in fine.

(⁷) Racine, dans Andromaq., décrit la fureur de Pyrrhus. — Cic., de Suppl., 106. — Cic., pro Roscio Amer., 64 et 67.

(⁸) Cic., Iª in Catil., n° 27. — Fléchier, pour M. de Montausier, à la fin de l'exorde.

III. Figuræ quas suggerit affectus animus.

Affectus animus, ubi vult alios afficere, aut urget *Interrogationibus* (1), aut ad *Deprecationes* (2) descendit, commoventia quæque enumerando; aut, si cætera incassum fuerint, devenit ad *Permissionem* (3), rebellemque auditorem deserit, imo vero eum in præceps ruere jubet, ut pervicaciæ ac periculi dein horrorem incutiat. Ubi vero jam impos sui est, aut esse fingit, rem auget *Superlatione* (4), erumpit in *Exclamationes* (5), *Imprecationes* (6), graves *Ironias* (7); si quid denique inopinatum vehementer moveat, rumpit sententiarum ordinem *Apostrophe* (8), *Dubitatione* (9); aut etiam, *Reticentiæ* (10) auxilio, rem nonnunquam melius significat, quam si eamdem verbis exprimeret.

Constat igitur ex prædictis, figuras oratorias inventas fuisse ab ipsa natura.

Sed quædam sunt in earum usu maxime vitanda?

1° Non debent esse meræ figuræ, vacuæ sensu. Cum enim nihil aliud sint quam ipsarummet formæ sententiarum, si ipsa sententia deficiat, nulli pretii, imo vero ri-

(1) Massill., exorde du Sermon sur le mauvais riche.
(2) Livius, verba Pacuvii. — Cic., IVa in Catilin., 18.
(3) Liv., verba senis Horatii. — Sallust., verba Catonis.
(4) Cic., pro Marc., n° 4. — Philipp. II, 67.
(5) Cic., pro Lig., n° 6.
(6) Corneille, Rodogune, Ve acte, sc. 1re.
(7) Cic., pro Milon., n° 20.
(8) Cic., pro Mil., n° 85. — Bossuet, à l'Ile de la Conférence, Or. fun. de Marie-Thérèse. — Cic., in Verr. de Supplic., 163.
(9) Cléopâtre se défend dans Rodogune, Ve acte.
(10) Cic., pro lege Man., n° 25.

dicula erit figura. Item si res quas excogitavit orator tritæ fuerint aut angustæ aut sine vi, nullatenus eas valebit ornare, augere, roborare, illud omne figurarum agmen, quas enumerat rhetorica.

2° Si qua figura usurpanda sit, minime exeat ex frigido mentis artificio, sed ex vivo commoti animi fonte. Ubi autem meditatione vere incaluerit orator, ultro se illi offerent hujusmodi ornamenta, quæ tum sponte sua enata, et vim, et splendorem, veritatemque omnem eloquentiæ præ se ferent. Secus, aderunt nugæ canoræ verbaque vita carentia, quibus auditor, nedum inflammetur, frigescet magis. Vide Quintil., L. IX, c. 3, in fine.

3° Notandum aliquid in particulari de Antithesi ac Metaphora.

Antithesis nec debet esse frequentior, nec nimium artificiosa, nec diutius producta. In hunc scopulum impegere nonnulli oratores, ut, ex nostratibus, Fléchier. Quidquid enim artem nimiam redolet, id et mentes auditorum male detinet ac distrahit, et oratorem arguit, de gloriola sua magis quam de causa cogitantem.

Nec tamen hæc figura nimis anxie ableganda est, ubi ipsa per se occurrit. *La plupart des grandes pensées*, inquit recte Marmontel, *prennent le tour de l'antithèse, soit pour marquer les rapports de différence et d'opposition, soit pour rapprocher les extrêmes* (¹). Sunt etiam causæ non paucæ, in quibus antithesim continuare ne-

(¹) Sublimiter Bossuet de Christo et Alexandro, exorde séparé, 1ᵉʳ Dimanc. de Carême; et Bourdaloue, exorde du Serm. sur la Résurrect.

cesse est ([1]). Tunc autem, ut vere illa serviat eloquentiæ, debet opponere res magis quam verba.

Nulla figura est, quæ plus luminis afferat orationi quam Translatio.

Metaphora apud oratores potest esse vel simplex ([2]), vel ad splendorem styli ([3]), vel ad vehementiam ([4]) accommodata; sed ut recte adhibeatur, consideranda est cujusque rei natura. Ubique caveatur a comparatione ignobili ([5]), aut nimis exquisita, aut ampullata. Item nec continuata nimium sit, ne aut flaccida videatur, aut nimii apparatus. Interdum tamen magna ingenia valent id quod non cæteri, in dilatanda metaphora ([6]). Vide Cic., de Orat., L. III, c. 41.

ARTICULUS TERTIUS.

De styli Convenientia et Unitate.

I. De Convenientia styli seu elocutionis.

In genere, ea perfectissima erit elocutio, quæ cum natura ipsa ubique maxime consentiet; plerumque enim

([1]) Cic., pro Milone, comparat in Clodio ac Milone utilitates, indolem, vitæ consuetudinem.

([2]) Cic., pro Mil., nº 25.

([3]) Ibid., nº 3.

([4]) Pro Lig., nº 9.

([5]) Horat., Satirar. Lib. II, ode 5ª, vers. 41, metaphoram hujusmodi risu insectatur.

([6]) Pulcherrimæ hujus figuræ vim omnem et limites ultimos ostendere visus est Bossuet, Ier Sermon du 1er dim. d'Avent, fin de la Ire partie.

optima verba rebus ipsis cohærent, et, ut de vero oratore affirmat Fénelon : *Il pense, il sent, et les paroles suivent.* (*Dialogues.*) Res et sententiæ, ait etiam Tullius, de Orat., L. II, c. 29, vi sua verba parient; quæ semper satis ornata mihi quidem videri solent, si ejusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. En habes magnum et universale principium, ex quo dimanant quæcumque de styli convenientia fuse doceri possunt.

Hinc enim 1° sequitur stylum cum ipso genere causæ concordem esse oportere; atque ibi recurrit illa styli partitio, in *subtilem* seu *tenuem*, in *mediocrem* seu *temperatum;* in *elatum* seu *gravem* ac *vehementem.* Vide Cic., *Orator*, c. 5, 6; et fusius c. 23, 26, 28, 40; et Quintil., L. XII, c. 10, § 4.

Hinc 2°, triplex illud dicendi genus, etiam pro variis ejusdem orationis partibus, commisceri debet : subtile in probando, inquit Tullius, modicum in delectando, vehemens in flectendo. Porro, ut monet Buffon (Discours sur le style) : *Rien n'est si opposé au beau naturel que la peine qu'on se donne pour exprimer des choses ordinaires et communes d'une manière singulière ou pompeuse.* Et Fénélon in Dialogis : *La plupart des gens qui veulent faire de beaux discours, cherchent sans choix également partout la pompe des paroles; ils croient avoir tout fait, pourvu qu'ils aient fait un amas de grands mots et de pensées vagues; ils ne songent qu'à charger leurs discours d'ornements; semblables aux méchants cuisiniers, qui ne savent rien assaisonner avec justesse, et qui croient donner un goût exquis aux viandes, en y*

mettant beaucoup de sel et de poivre. La véritable éloquence n'a rien d'enflé ni d'ambitieux; elle se modère et se proportionne aux sujets qu'elle traite et aux gens qu'elle instruit; elle n'est grande et sublime que quand il le faut être. Unde idem sapientissimus auctor paucis verbis omnia complectitur : *L'orateur est celui qui cherche simplement dans la seule nature tout ce qui est capable de saisir, d'animer, d'entraîner les hommes.*

Addam tamen id quod acute ac verissime notat Quintilianus, Lib. X, c. 1, § 1 : Omnia fere verba sunt alicubi optima; nam et humilibus interim et vulgaribus est opus, et quæ cultiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur. Adverte etiam non verba esse quæ sententiis splendorem addere solent, sed verbis sententias; ut apud Bossuet et Corneille passim invenies.

Hinc 3°, copia dicendi optima, non ejusdem semper tenoris est, ut non lasset auditores. *Tout discours,* inquit idem Fénélon, *doit avoir ses inégalités; il faut suivre la nature dans ses variétés.* Ac Tullius, de Invent., L. I, c. 41 : Variare orationem magnopere oportebit; nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater.

Hinc 4° demum, omnem orationis elocutionem decet esse ea facilitate, ea libertate, ut ars nusquam, naturæ vero ubique simplicitas appareat. Quod Fénélon hac illustrat similitudine : *Un peintre met toute sa gloire à ne point paraître, pour vous occuper des choses qu'il peint; et il se garde bien de vous laisser remarquer ses coups de pinceau : l'art est grossier et méprisable dès qu'il paraît.* Absit igitur illa verborum cura operosior,

quæ polit æqualiter omnia limæ labore. Genus præsertim elatum, ait D. Augustinus, de Doctrina christiana, L. IV, non tam verborum ornatibus comptum est, quam violentum animi affectibus..... Fertur quippe impetu suo, et elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Denique, juxta veteres, ornatus eloquentiæ virilis est; nec effeminatam levitatem, nec fuco ementitum colorem amat; sanguine et viribus nitere debet.

Neque ergo arma squalere situ et rubigine velim; sed fulgorem his inesse qui terreat, qualis est ferri, quo mens simul visusque perstringatur; non qualis auri argentique, imbellis, et potius habenti periculosus. Quintil., L. X, c. 1, § 1.

II. De styli Unitate.

His paucis verbis plurima indicabo. Adsit 1° Unitas in singularum phrasium ædificatione, ita ut nec in eadem phrasi res multæ congerantur, nec periodi, pluribus innixæ particulis, male reptare videantur.

2° Unitas ornatus, qua caveatur, ne in uno eodemque loco, insignia verborum lumina inepte misceantur humilioribus.

3° Unitas connexionis inter sententias, unde fiat, ut id quod sequitur ex præcedenti facile enascatur; ex illo enim velut *flumine orationis*, in quo omnia se invicem ac sponte impellunt, pendet in primis impetus ac vis eloquentiæ.

4° Demum Unitas colorum. Sic vocamus illam quamdam et constantem styli indolem, quam sibi propriam

habet auctor quisque optimus. Eam facile deprehendes aliam in Demosthene, aliam in Tullio, etc. ; quod non ab arte præceptisve pendet, sed ab uniuscujusque natura. Id unum monet rhetorica, ne velint juvenes, vano et inepto conamine, alienam styli indolem assumere, sed ut suam quisque præsentiscat et sequatur. Lege Tullium, de Orat., L. III, c. 7, 8, 9.

PARS SECUNDA.

DE INVENTIONE.

Inventio est excogitatio rerum, seu mediorum, quibus auditor ad persuasionem adduci potest.

Jam vero ut persuadeatur auditor, dictum est officium oratoris esse triplex : ut probet, ut delectet, ut flectat. De his ergo singulis in Inventione tractandum est; sed jam nunc monendus iterum atque iterum est ille qui se ad orationem accingit, ut accuratissime ac perpetuo secum agitet id quod se fecisse testatur Tullius, de Orat., L. II, c. 24 : « Cum causam agere debeo, inquit, tres personas unus sustineo, summa animi æquitate : meam, adversarii, judicis. » Hoc facienti revelabitur facile quidquid inveniendum est ad persuasionem, et quidquid rejiciendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Primum oratoris officium, ut probet.

Probare necessitatis est; en, ut jam monuimus, omnis orationis fundamentum, sine quo tum elocutio, tum affectus frustra essent. Attamen quælibet oratio non æque probatione indiget. Discussio, saltem accurata, superflua sit, ubi constat quæstionis veritas; at displiceat etiam noceatque, si affectibus in primis opus sit. Ita Africanus major, reus ad populum, probationes minime curat, ut motu populum audientem rapiat ([1]).

Probat orator per *argumenta.*

Argumentum autem est ratio quæ rei dubiæ fidem facit, vel, est inventum probabile ad faciendam fidem ([2]).

Ex argumentis alia dicuntur *probabilia;* alia tantummodo *illustrantia.* Utraque necessaria sunt oratori ad persuasionem : priora, ut veritas pariatur; posteriora, ut veritas clarius audienti multitudini affulgeat ([3]).

Ratio inveniendi argumenta.

Ut argumenta apte inveniantur, res de qua agitur seria meditatione indiget, penitusque est investiganda et rimanda quæstio. Certissima enim, imo unica ratio excogitandi solida argumenta, est, ut quæratur quæ et

([1]) Livius, vide *Conciones.* — Item apud Homerum, Cantu XXIV, Priamus supplex ad Achillem.

([2]) Ita Cic., pro lege Manil., n° 6, probat necessarium esse bellum Mithridaticum.

([3]) Utraque Demosthenes mire tractat, loquens de clade Cheronensi, in oratione pro Corona.

qualis res sit; quæ illius partes, causæ, effectus, adjuncta; quid relationis habeat ad alias causas vel similes, vel oppositas, etc. Et hi sunt quos rhetores dicunt *Locos oratorios.*

Loci oratorii, juxta Tullium, sunt quædam argumentorum sedes, in quibus illa veluti latent, et e quibus meditatione depromenda sunt.

Quemadmodum vero argumenta vel ex ipsis causæ visceribus hauriri possunt, vel quæri extra causam, atque ideo dicuntur aut *intrinseca,* aut *extrinseca;* ita pariter duplex datur locorum species, quorum alii *intrinseci,* seu *insiti* nominantur; alii, *extrinseci,* seu *assumpti.*

I. Loci intrinseci.

Loci intrinseci sunt fontes, e quibus depromuntur illa argumenta, quæ ad viscera rei pertinent.

Octo numerari possunt : Definitio, Enumeratio partium, Genus et species, Similia, Dissimilia, contraria et repugnantia, Adjuncta, Antecedentia et consequentia Causæ et effectus.

1° Locus a definitione.

Definitio est oratio quæ rei naturam explicat. Unde locus a definitione est locus oratorius intrinsecus, ex quo, per explicatam rei naturam, aliquod argumentum causæ eruitur.

Longe diversa est ratio definiendi logicis et oratoribus. Definitio enim philosophica nudam veritatem spectat, et simpliciter constat *genere* ac *differentia.* Logicus scilicet

primum accipit aliquid, quod rei definiendæ commune cum rebus aliis sit; en *rei genus:* deinde addit aliquid, illi rei unice proprium; en *rei differentia.* Ex. gratia : *Deus est ens summe bonum; homo est animal rationale.*

Oratoria autem definitio, seu potius descriptio, liberior est atque ornatior : rem enim explicat apte ad persuadendum, non minus delectando aut movendo, quam probando ac docendo.

Logicus unicam fere habet pro unaquaque re definitionem; sed oratori licet diversimode rem eamdem definire, juxta scopum quem intendit : v. g., si contra mortalium superbiam agat, definiet hominem per ea humilia quibus humana natura abundat; si contra materialistas, id faciet per nobiles mentis humanæ facultates ac dotes; si contra voluptatum sectatores, per sublimem illam, ad quam homo conditus est, finem, etc. (1).

Definitio oratoria dari potest vel per rei proprietates (2), vel per quosdam e locis oratoriis, verbi gratia, per partes, per adjuncta, per causas aut effecta (3); fit venuste per similitudines ac translata (4) : sæpe prodest,

(1) Cic., pro Milone, n° 10. — Ibidem, n° 90. — in Pisonem, n°s 23 et 24. — Pro Sextio, n° 17. — IIa in Rullum, n° 10. — Pro Marcello, n° 26 in fine. — De Oratore, L. II, c. 15, definit historiam. — Fléchier, Orais. fun. de Turenne, définit la valeur. — Buffon, description de l'homme.

(2) Bossuet, Orais. fun. de la duch. d'Orléans, définit l'Extrême-Onction.

(3) Bossuet, Orais. fun. d'Anne de Gonzag., définit l'incrédulité : *Qu'est-ce donc après tout...?* — D'Aguesseau, Discours sur la décadence du barreau, définit le bel esprit et l'éloquence.

(4) D'Aguesseau, ibidem, la fausse éloquence.

et valet plurimum per negationem et affirmationem [1], per contraria. Sic tu definire, si libet, possis *adolescentem*, *amicum*, *regem*, etc. ; *ambitionem*, *amorem patriæ*, etc.

Porro in rebus ab oratore definiendis, artis est, utilia ad causam seligere, nocentia prætermittere, aut inutilia [2]. Definitionis autem usus est non tantum ad obscura explicanda, sed etiam ad amplificationes ac descriptiones. Lege Cic., Partit. Orat., c. 36.

Ad locum a definitione referri potest 1° illa personarum vel physica, vel moralis descriptio, quam *Prosopographiam* atque *Ethopœiam* vocant [3] ; 2° id quod *nominis* dicitur *Notatio.*

Notatio nominis est illa quasi vocis definitio, quæ nominis alicujus vim et originem explicat, ut inde argumentum causæ eruatur ; v. g. *Senatus* a *senibus*, ergo postulat in consiliis gravitatem ; *Consul* a *consulendo*, ergo si ille vere patriæ consulens ; *Christi* vitam non imitaris, ergo te frustra *Christianum* vocas.

Notatio nominis usui esse potest, imo valere non parum, 1° in nominibus propriis quæ divinitus imposita sunt ; 2° in nominibus officiorum ac dignitatum ; 3° in

[1] Cic., pro Domo sua, n° 89, definit populum Romanum.
[2] Corneille, dans Sertorius, offre les deux définitions du Sénat et de Rome.
[3] Bossuet, sur Cromwell, Turenne et Condé. — Cic. Verrem describit, orat. de Suppliciis, n° 27 ; et pro Cœlio, Catilinam, c. V, VI. — Eumd., III° in Catil., n° 16. — Sallust. eumdem, Bello Catilin., c. V et LXI.

nominibus virtutum, vitiorum, etc. Exempli gratia, vide quam eximium sit illud Terentii

Homo sum, *humani* nihil a me alienum puto [1].

2° Enumeratio partium.

Est oratio qua totum distribuitur in suas partes, vel qua aliquid universale per singula late explicatur [2].

Ad probandum valet duplici modo : 1° si, affirmatis omnibus aut saltem præcipuis partibus, affirmetur totum ; 2° si, negatis partibus vel una earum primaria, totum negetur.

Enumeratio inservit maxime tum ad docendum, tum ad delectandum, tum ad flectendum ; ut scilicet ab idea generali, quam minus attingunt animi, veniatur ad singula, et sic res integra clare ac vivide audientibus appareat [3].

3° Genus ac species.

Genus est totum quoddam, plures continens partes, communione quadam inter se similes, specie tamen dispares ab invicem.

Species est pars generi subjecta.

Sic, v. g., descendes a genere ad speciem, si avaritiæ

[1] Cic., pro Ligario, n° 17, 18, 19. — Bourdaloue, sur la Circoncision : le nom de *sauveur*...

[2] Massillon, Petit nombre des élus, 1re partie, prouve que *peu de chrétiens peuvent prétendre au salut à titre d'innocence.* — — Racine, 1er chœur d'Athalie : *Tout l'univers est plein...*

[3] Cic., 1a in Catil., nos 1 et 13 — Pro Lege Manil., n° 28. — Bossuet, exorde pour la reine d'Angleterre. — Joad, Ire scène d'Athalie, énumère les prodiges arrivés de son temps.

primum crimen exaggeres, ut deinde ad talem avarum insectandum devenias; econtra a specie adscendes ad genus, si talium prius piorum vivorum facta exponas, ut postea pietatem commendes in genere.

Locus a genere valet ad fusiorem solidioremque doctrinam; magna enim est vis in recte exposita generis natura. Unde sæpe oratores controversiam a particularibus personæ, loci, temporis adjunctis, ad universi generis vim traducunt. Usurpatur in primis initio vel orationis, vel ejus partis alicujus; videlicet ut, præmissa aliqua *thesi*, ad speciem seu *hypothesim* via aperiatur; quod fit inter alia in panegyri (¹).

Sed hoc loco solent intemperantius abuti oratores jejuni aut ambitiosi, eo quod nempe sit res multorum trita vestigiis, vel quod ostentationem profundæ mentis habeat (²). Quare caveat orator prudens, ne diutius in his communibus evagetur, quæ cæteroquin facile refelluntur. Contra rem hujusmodi Tullius, pro Cœlio, 29 : « Sed tu mihi videbare, ex communi infamia juventutis, « invidiam Cœlio velle conflare. Facile est accusare lu-« xuriam; dies jam me deficiet, si, quæ dici in eam sen-« tentiam possunt, coner exprimere. »

4° Similia.

Similia conferunt res dispares quidem, sed aliqua in

(¹) Cic., pro Marcello, de clementia, ut laudet Cæsarem. — Pro Archia, laudat poesim, ut Archiam tueatur. — Pro Muræna, extollit laudem militarem, n° 30. — Cic., pro Sylla, in falsos testes. — In parricidas, pro Roscio Amerino, n° 62.

(²) Sic Thomas, in orationibus parænetieis, exuberantius thesi utitur.

parte convenientes. Ex. gr., comparas avarum cum hydrope, eumque lacessis, ex eo quod neutrius sitis possit expleri.

In loco a simili, vel res cum re comparatur tantum in genere ([1]), vel comparatur quatenus est major, aut minor, aut æqualis.

In priori casu, locus a simili lucem affert rebus, ornatum argumentis, animis voluptatem. Ex eo enim quod rem subjiciat oculis, mirifice capit eos qui audiunt, estque utilissimus ad excitandos motus. Omnium locorum nulli fere minus est virium contra renitentem auditorem, quam similitudini; ad eum vero qui sponte sequitur docendumque se præbet, accommodatior nullus est. Quapropter ad probandum non ita crebro, ad illustrandum autem sæpe ab oratoribus adhibetur. Laudi præsertim et vituperio aptissimus est.

At caveatur ibi a stylo poetico, curetque orator ut similia sint apte inducta, auditoribus bene cognita, petita denique a rebus minime sordidis.

In posteriori casu, comparatio fieri potest vel *a majori ad minus* : Ex. « Quem feret, si parentem non fert suum? » (Ita Tullius de Antonio, Philippica IIª.)

Vel *a minori ad majus.* Ex. « Si fœnum agri... Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei? »

([1]) Horat., Lib. III, Odar. 5ª, v. 27. — Bossuet compare Condé avec Alexandre. — Jouvenci in Candidato probat educationis utilitatem, p. 30. — Et p. 31, citat. S. Aug. de homine improbo. — Cic., pro Mil., nos 4 et 17. — Pro Lege Manil, nº 12. — Pro Muræna, nº 4.

(Matth., c. VI, 30); et Tullius ad Antonium : « Quid faceres domi tuæ, cum alienæ tam sis insolens ([1]) ? »

Vel *a priori* : Martialis ita lepidissime :

> Cum sitis similes paresque vita,
> Uxor pessima, pessimus maritus;
> Miror non bene convenire vobis.

Hujusmodi comparatione majorum aut minorum, assurgunt oratores ad magnos motus; item, in stimulandis animis excutiendaque socordia, ipsa vim habet insignem.

Similitudo ficta potest rei veræ accommodari ; atque hæc ficta suppositio a summis passim oratoribus eloquentissime tractata est. Sic Tullius, IVa in Catilinam, n° 12, « Etenim quæro si quis paterfamilias... » ; et pro Sextio, n° 45 : « Si mihi aliqua in nave... ([2]) »

Ad locum a simili revocantur *Parabolá* ([3]), *Apologus* ([4]), *Exemplum* et *Inductio.* Exemplum enim est species quædam comparationis ([5]), et Inductio nihil aliud est quam coacervatio multorum similium vel exemplorum ([6]). Porro nemo nescit quam frequens sit usus inductionis et exempli in eloquentia.

([1]) Cic., pro Archia, n° 19. — Ia in Catilin., n° 17. — Jouvenci, in Candidato, citat S. Cyprian., p. 153.

([2]) Massillon, Petit nombre des élus, suppose l'avénement du Juge suprême. — Cic., pro Ligar., nos 14, 16. — Pro Milone, nos 77, 79. — Fléchier suppose une carte où il montre plus rapidement les exploits de Turenne.

([3]) De Prodigo (Luc., c. 15). — Livius, L. II, n° 32, parabola Menenii Agrippæ.

([4]) Libro Judicum, c. IX, v. 7.

([5]) Pro Milone, nos 7, 9. — Horat., Lib. II, Satir. 6a, v. 80.

([6]) Pro Milone, n° 16 ad 20. — Pro Muræna, nos 58, 59. — Ho-

V. Dissimilia, contraria, repugnantia.

1° Locus a dissimili rem cum alia confert, ut aliquid inde dissimile colligat. Ex. dat Cicero : « Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent ; » et Horatius, Lib. IV, Ode 6a :

Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ :
Nos ubi decidimus
Quo pius Æneas, quo dives Tullus, et Ancus ;
Pulvis et umbra sumus (1).

2° Locus a contrariis adversa adversis opponit. Ex. « Malorum causa bellum est, erit emendatio pax. » Cic. (2).

« Quem græce et latine doctum vides, hunc indoctum dicis ? » Cic.

« Si imperatoris est præcipere, militis est obtemperare. »

3° Locus a repugnantibus est ille, quo ostendimus eadem de eodem simul vere affirmari ac negari non posse. Repugnantia enim dicuntur ea quæ in eodem subjecto non possunt esse, aut si fuerint, inter se pugnant. Ex. gr. : « M. Cœlius fuit deditus studiis ; ergo non voluptatibus (3). »

Repugnantium usus plurimus est in refellendo, pro-

ratius, Lib. II, Satir. Ia, v. 47. — Bourdaloue, parlant à l'athée, compare le monde à un État, à un vaisseau, à une famille.

(1) Cic., pro Mur., n° 23.

(2) Cic., pro Mur., n° 65 in fine.

(3) Cic., pro Ligar., 9, 10, 11 : « Repugnat Ligarium a Tuberone accusari. » — Pro Milone, 41, 42, — et pro Muræna, n° 13.

bando, factum denegando; dissimilium vero et contrariorum, ad styli gratiam, varietatem et vim, atque ut res una per adversam melius eluceat.

VI. Adjuncta.

Adjuncta sunt ea omnia quæ rem circumstare possunt *probabiliter*.

Enumerantur hæc : genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, natura animi, virtus aut vitium, studia, affectus, locus, tempus, occasio, casus, facultas, instrumentum, modus, signum. Quæ omnia adjuncta habes in hoc versiculo :

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando?

Quis indicat quidquid ad personam pertinet; *quid*, rem ipsam; *ubi*, locum in quo res gesta est; *per quos*, media, adjutoria, instrumenta; *cur*, consilia, causas rei gestæ; *quomodo*, executionis modum; *quando*, tempus. Vide Quintil., L. V, c. 10.

Amplissime patent adjuncta, et in illis persæpe versatur orator, ad narrandum, probandum, amplificandum; ad atrocitatem criminis, vel laudem egregii facinoris ob oculos ponendam. Ita Tullius, in exponendo Milonis Clodiique congressu ac certamine, adjunctis utitur eloquentissime ([1]).

([1]) Ætas Pompeii; pro Lege Manil., 28. — Pro Milone, 19. — Modus, Cic., pro Mil., 33. — Virg., Æneid., VIII, v. 485. — Verba senis Horatii apud Livium. — Bossuet Intéresse par les circonstances de la dernière maladie de Condé.

VII. Antecedentia et consequentia.

Sunt ea quæ cum re *necessario* conjungi solent, ita ut illa præcedant, hæc sequantur. Hujusque loci usus est in factis præsertim agnoscendis comprobandisque, eo quod vel antecedentia, vel consequentia sint quasi muti factorum testes. V. g. : « Cum isto homine constat te rixam habuisse ; te eidem fecisse minas ; » en antecedentia. « Occisus inventus est, fugisti, cruor deprehenditur vestibus impressus tuis ; » en consequentia. Ita Tullius Clodium insidias fecisse probat ab antecedentibus, quia scilicet 1° transtulit præturam suam ; 2° adjuvit competitorem Milonis ; 3° huic mortem minatus est ; 4° locum ac tempus elegit aptum insidiis.

Sic econtra Milonem nullo imbutum scelere demonstrat a consequentibus, n° 61. Vide Cic., Partit. orat., c. 23, et de Oratore, L. II, c. 40.

VIII. Causæ et effecta.

Causa est id unde aliquid est. Distinguitur causa *efficiens*, qua agente fit aliquid ; *materialis*, ex qua fit aliquid ; *formalis*, quæ est ratio rei, seu nota per quam res ab alia re discrepat ; *finalis*, propter quam fit aliquid. Sic templum Jerosolymitanum poteris commendare ex his simul junctis quatuor causis : causa efficiens erit regum sapientissimus, peritissimique artifices ; causa materialis, pretiosi lapides, ligna cedrina, aureæ laminæ, etc. ; causa formalis, ipsa structura ac nobilissima forma templi ; causa finalis, summi Dei cultus [1].

[1] Discours de Pyrrhus à Oreste dans l'Andromaque de Racine, act. I, sc. II. — Causa efficiens in exitio Clodiano, Cic., pro

Effecta sunt ea quæ oriuntur ex causis.

Per causas et effecta optime probatur, confutatur, describitur, etc. Ex iis enim constat magis de rebus, utrum bene an male gestis, quidve sit magis ad laudem aut vituperium [1].

Locus ab effectis sæpius usurpatur ab oratore, quia effectus solent esse causis ipsis notiores. Fit autem argumentum ab effectis, cum ex his ostenditur causæ vis et præstantia [2].

Causa occasionalis, quæ non est nisi causa improprie dicta, inservit tamen ad minuendum vel augendum meritum [3].

II. Loci extrinseci.

Loci extrinseci sunt ii qui non ex re ipsa, sed foris assumpta suppeditant argumenta.

Vocantur *inartificiales*, ex eo quod illos non parit oratoris ars, quanquam et ipsi arte indigeant ut rite tractentur. Vide Cic., Partit. orat., c. 14, 24.

Sex recenseri solent :

Milone, nos 83, 84. — Causa formalis in lege naturali, ibid., no 10. —Causa materialis in candelabro Antiochi, Cic., in Verr. de Sig., no 64. — Causa finalis, pro Milone, 32; pro Marcello, 25 ad 29. — Bossuet, Causes de la révolution d'Angleterre. — Racine, Athalie, Ire sc. : *La foi qui n'agit point...* — La Cour... Bossuet, Or. fun. d'Anne de Gonzague — La fronde, .. ibidem. — Virg., Æneid., IX, v. 427.

(1) Cic., pro Lege Man., no 6.— Pro Mur., nos 23 et 85.—Laus eloquentiæ per effecta, Cic., de Oratore, L. I, c. 30.

(2) Horat., Lib. III, Ode 6a.

(3) Cic., pro Ligar., no 5.

1° *Lex* vel naturalis [1] vel positiva [2]; et hæc quidem, vel divina vel humana.

In genere sacro lex divina [3], in judiciali lex humana sunt argumentationis nervus ac robur; argumenta autem eruuntur vel ex vi legis, vel ex ejus explicato sensu [4], aut mente [5].

2° *Præjudicia*, id est judicia ante lata; cum scilicet aliquid in simili causa jam sententia judiciali definitum fuit [6]. Sed duobus confirmari debet præjudicium: 1° vera similitudine rerum; 2° eorum qui antea judicarunt, auctoritate, integritate, fide.

Ad præjudicia revocantur testimonia, facta, dicta, scripta magnorum virorum [7], sapientum, eruditorum [8], quorum sæpe auctoritas petitur ad faciendam fidem.

3° *Fama*, seu *Rumores*. Est testimonium multitudinis, sane grave si universale; aut nisi malitia irrepserit, vel nimia credulitas [9].

4° *Tabulæ*, quarum nomine veniunt omnia testimonia scripto exarata; qualia sunt epistolæ, codicilli, testamenta, etc.

(1) Cic., pro Mil., n° 10.
(2) Cic., pro Mil., n° 8.
(3) Massillon, Petit nombre des élus: Promesses du baptême, 2e partie.
(4) Cic., pro Mil., n° 11.
(5) Cic., de Inventione, L. II, c. 51.
(6) Cic., pro Mil., n°s 7, 8; — et pro Cluentio, c. LV.
(7) Cic., pro Mil., n° 32.
(8) Cic., pro Muræna, n° 30.
(9) Cic., pro Mil., n°s 33 et 64.

5° *Jusjurandum* [1]. Est affirmatio religiosa qua quid, invocato teste Deo, asseritur. Ibi spectanda est jurantis probitas vel nequitia.

6° Denique *Testes*. Sunt ii qui de quæstione facti testimonium voce aut scripto ferunt.

Porro fides adhibetur probis, oculatis, auritis, juratis; negatur improbis, sibi pugnantibus, absentibus, coactis, perturbatis ira aut timore, aut cupiditate, dicentibus in sua suorumve causa [2]. Attamen si quid contra se ipsum quis fateri cogatur, ipse adversario firmissimum præbet argumentum ; est autem id quod vocant *Argumentum ad hominem*, oratoribus usitatissimum [3].

Omnes Locos extrinsecos reducere cum Tullio licet ad auctoritates seu testimonia : alia divina, humana alia.

Aliqua de Locis oratoriis adnotanda sunt.

1° Locorum tractationem rhetores alii plus æquo extulerunt ; alii nimio contemptu prosecuti sunt. Et sane Loci, judice Quintiliano, Libro V, c. 10, non eloquentiam quidem constituunt ; attamen sufficienter cogniti reddunt animum attentiorem, magisque ad meditandas quæstiones idoneum. Etenim juvenes qui semel oratorios locos consideraverint, hac artificiali methodo ita juvabuntur, ut pro nata occasione, eam, etiam inscii nec cogitantes, in praxim usumque deducant.

2° Quoad vim probandi, dicendum est in genere intrinseca argumenta ex se ipsis validiora esse ; interdum

[1] Demosth., exordium orationis pro Corona.
[2] Cic., pro Mil., nos 59, 60.
[3] Cic., pro Muræna, n° 9.

tamen fit ut extrinseca majore vi polleant ad persuadendum. Sic in forensibus lex super omnia est. Relate ad vulgus, solent auctoritates et exempla maximi esse ponderis; homines enim facilius se trahi sinunt experientia, quam argumentis: item, magis exempla movent audientem multitudinem; dum econtra rationes intimas vel minus assequitur, vel fraudis suspicione declinat.

3° Ex consideratione locorum constat quanta in oratore scientia requiratur. Etenim, ut ait Tullius, silva rerum et sententiarum ipsi comparanda est : nec tantum ea debet cognoscere quæ propiora causæ suæ fuerint, sed illa etiam omnia quæ remotiora esse videantur; quales sunt mores populorum, religiones, leges, historiæ gentium, quidquid denique ad philosophiam, ad artes, ad scientias pertinet. Quæ si probe noverit, argumentis, præsertim extrinsecis, semper abundabit. Vide *Orator*, c. 33, 34; et Partit. orat., c. 40.

ARTICULUS SECUNDUS.

Secundum oratoris officium, ut delectet.

Distinguit Tullius duplex affectuum genus : lenium scilicet, et concitatorum. Duo sunt, inquit, *Orator*, c. 37, quæ bene tractata admirabilem eloquentiam faciunt; quorum alterum est quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturam, ad mores et omnem vitæ consuetudinem accommodatum; alterum quod παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concilliantur.

Unde, judice Tullio, non minus ad affectus pertinent tum mores, ἐθικὸν, tum id quod decet, πρέπον, quibus videlicet præparatur ac veluti tentatur animus, quam motus concitati, παθετικὸν, quibus frangitur ac permovetur.

Sed ad faciliorem singularum rerum expositionem, libet magis dividere juxta triplex munus oratoris.

In hoc pariter delectandi officio de quo nunc agimus, claritatis etiam gratia, tria distinguemus, quæ revera in dicendo sæpe permiscentur.

Itaque delectat orator per *Mores*, per *Decorum*, per *Cautiones*. Delectat quidem etiam per styli tum convenientiam, tum nitorem, numerum et figuras; sed de his alibi tractatum est.

I. *Mores oratorii.*

Sunt dotes quædam, quibus ornatus apparere debet orator, ut auditoribus placeat.

Valet enim multum ad vincendum, probari mores, instituta et facta et vitam eorum qui agent causas. Cic., de Orat., L. II, c. 43. Hoc autem tantam habet vim, si est suaviter et cum sensu tractatum, ut sæpe plus quam causa valeat. *La confiance,* ait Fleury, *fait la moitié de la persuasion.*

Plerosque mores oratoris ita recenset Tullius : Conciliantur animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitæ. Sed hæc adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas : si quid persequare acrius, ut invitus et coactus facere videare ; facilitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non ap-

petentis, non avidi signa proferri, perutile est, etc. ([1]). Vide locum, de Orat., L. II, c. 43.

Rhetores non aliud exigunt ab oratore quam ut ille mores dicendo exprimat; sed eos nisi reipsa veros habeat, vix ac ne vix quidem exprimet: hæc enim, ait ibidem Cicero, facilius ornari possunt, si modo sunt, quam fingi, si nulla sunt.

Inter mores, alii pertinent ad animum, ut probitas, modestia, benevolentia..., alii ad mentem, quales sunt prudentia ac rerum peritia.

Probitas ita oratori necessaria est, ut vel improbissimo verba facienti necesse sit probitatis saltem speciem præ se ferre. Qui enim dum dicit, malus videtur, utique male dicit ([2]); idcirco definitur orator: Vir bonus, dicendi peritus. Vide Quintil., L. XII, c. 1. Cæterum ad eloquentiam sat esse videtur, si adsit ille probitatis gradus quem postulat auditor, ut oratori confidat. Plus enim sane exigitur a sacro oratore, v. g., quam ab eo qui forensia tractat aut politica.

Benevolentia etiam jucundissima est; facillime enim tibi credunt ii qui te putant amicum ([3]).

Modestiam præ se ferre debet orator; tum quia illa signum veræ doctrinæ esse solet, tum quia nulli rei magis irascuntur homines quam arrogantiæ ([4]).

([1]) Cic., pro Lege Manil., Exord.— Pro Muræna, n^os 6, 7, 8, 9, 10.
([2]) Ipse Catilina ad suos apud Sallust., et Manlius ad cives apud Livium, L. VI, c. 16, et Mirabeau affectant bonos mores.
([3]) Demosth., pro Corona, in exordio. — Cic., VI^a in Catil., exord.
([4]) Pro Archia, n° 1. — Pro Lege Manil., n° 1.

Hic quæritur utrum oratori fas sit de se loqui? Decet quidem Bossuetium de sua loqui canitie; Cicero autem, etsi vir tantorum operum, tantusque civis, modum tamen in hac re excessit. Sane risum movet quorumdam fucata modestia; hæc vero, ut plurimum, in eo præsertim sita esse debet, ut orator mentes audientium sui immemores, in causa autem prorsus intentas teneat.

Prudentia tandem ac *rerum peritia* etiam in eo qui dicit, valde requiritur. Homini enim, vel probo amicoque, non satis confidam, si viam ab illo ignorari suspicer.

Uno verbo, in homine vere eloquenti duplex inesse debet virtutis et ingenii auctoritas; isque maxime in dicendo excelleret, in quo esset summa virtus, summum ingenium.

At quomodo orator mores exprimet suos?

De hac re rhetorica silet, et quid agendum sit sola præcipit bene observata et interrogata natura. Sit orator probus, prudens, modestus, benevolus, patriæ amans: hæ virtutes ultro sese proferent oratione sua. Sunt autem in morum expressione nescio quæ delicatissimæ arcanæque dicendi formæ, quas non nisi suum oratori pectus recludet.

Aliqua tamen juvenibus via est hujus ediscendæ rei; videlicet ut considerent ipsos egregios oratores, quomodo illi mores optimos valuerint exprimere ([1]).

([1]) Tullius, inter cæteros consulendus, et præsertim in tota oratione pro Muræna, ubi quidquid ad mores et decorum pertinet, eximium est.

Neque certe bonos mores in te commendabis per jactationes, quas potius oderint ii qui audiunt. Exemplo potius sit Theodosius imperator, qui cum, festis Paschalibus, carceribus detentos jussisset in libertatem dari : « Vellem, inquit, etiam mortuos ad vitam revocare posse. » Se humanissimum exprimebat, quin diceret.

II. *Decorum orationum.*

Id quod decet, τὸ πρέπον, *les Bienséances*, est scientia earum rerum quæ agentur aut dicentur, suo loco collocandarum.

Respicit igitur non solum verba, sententias et argumenta, sed ipsam etiam actionem.

Tullio judice, de Orat., L. I, c. 29 : Caput est artis, decere ; quod tamen unum id est quod arte tradi non possit ; non magis, addit Fabius, quam gustus aut odor.

Hac in re quidem, a te ipso, dum scribis, consilium fere unice petendum est.

Hæc autem advertas velim in genere :

1° Quid postulet oratoris ipsius persona ? Quod enim decebit hominem ætate, dignitate, fama præstantem, dedeceat juvenem, privatum, ignotum [1].

2° Quid velit auditorum habitus ? Numquam ille qui dicit, immemor esse debet ætatis, conditionis, indolis, status animi eorum qui audiunt ; indoctam multitudinem non eodem modo atque excultos homines alloquetur ;

[1] Camillus ad seditiosos. — Juvenis Scipio ad similes... Vide Livium. — Bossuet, contre les incrédules : Or. fun. d'Anne de Gonz.

aliter coram adolescentibus [1], aliter coram viris; aliter coram paucis, aliter coram pluribus verba faciet. Vide Cic., de Orat., L. III, c. 55.

3° Quid exigant res earumque adjuncta, tempus, locus, etc.? Quemadmodum enim displiceat levitas orationis in calamitate publica, ita gravitas in re parvi momenti; neque debet esse eadem dicendi ratio aut in foro, aut in castris, aut in litteraria palæstra. Vide Cic., *Orator*, c. 21, et Quintil., L. XI, c, I, § 4.

III. *Cautiones oratoriæ.*

Sunt quædam artificiosæ emollitæque dicendi rationes, quibus uti sæpe debet orator, ut ne delicatas aures vulneret.

Respiciunt autem vel personas, vel res ipsas quæ dicendæ sunt.

1° Quidem personas: interdum enim opus est oratori ut hominibus existimatione, dignitate, virtute præstantibus contradicat; ut alios aggrediatur, aliorum errores aut vitia exprobret; ut forti animo manifestet in quo peccatum sit [2]. Jam vero in his omnibus magna dexteritas requiritur. Inter cæteros qui hac arte valuerunt, eminet sane Tullius [3]

[1] Massillon, au jeune Louis XV, Petit Carême, surtout les péroraisons. — Joad à Joas, dans Athalie.

[2] Cic., pro Mil., n° 65.—Bossuet, Exorde sur l'unité de l'Église. — Le même, parlant des fautes de Condé et de sa rébellion. — De même Fléchier, au sujet de Turenne.

[3] Cic. id quod decet divine servavit contra Sassiam dicens, orat. pro Cluent.; et pro Muræna, quam decenter in Sulpitium; quam molli articulo tractavit Catonem!

2° Spectant ad res ipsas quæ tractandæ sunt. Nam plurima undique dicenti occurrunt, quæ ut apte exprimantur, quodam veluti velo indigent, ne judicis audientiumve alienent animos, neve risui sint [1] aut fastidio.

ARTICULUS TERTIUS.

Tertium oratoris officium, ut flectat seu moveat.

Flectere victoriæ est, atque ita proprium oratoris est hoc opus, ut eloquens nemo dici queat, nisi in quantum agat in audientium animos. *Si, au lieu de vous émouvoir*, inquit Fénélon, *un orateur ne fait que vous plaire, et vous faire admirer l'éclat, la justesse de ses pensées, dites que c'est un faux orateur.* (Dialog.)

Attamen, in dicendo, ait Tullius, de Orat., L. II, c. 77, una res præ nobis est ferenda, ut nihil aliud nisi docere velle videamur; reliquæ duæ, delectare scilicet ac flectere, sicuti sanguis in corporibus, sic illæ in perpetuis orationibus fusæ esse debebunt.

Porro flectuntur animi per *Affectus* seu *Motus oratorios.*

Regnat igitur in Affectibus eloquentia ; et auditor imperitus aut pertinax sæpe vi motuum revocandus est ad æquitatem ac rationem. Probationes, ait Quintil., L. VI, c. 2., efficiunt sane ut causam quam dicit orator, meliorem esse putent auditores; affectus vero præstant, ut etiam velint; sed id quia volent, credent quoque. Huc

[1] Bossuet, Or. fun. d'Anne de Gonzague, raconte des songes avec beaucoup d'art.

igitur incumbat orator; hoc opus ejus, hic labor est, sine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt. Adeo velut spiritus operis hujus atque animus est in Affectibus! Quantum Motibus valuerit Cicero, vide *Orator*, c. 37, 38.

Affectus sunt illi animi impetus quos in nobis excitat boni vel mali sensus, ac proinde quibus impellimur ad aliquid appetendum, vel aversandum.

Dantur itaque duo quasi principes affectus, amor et odium; ex quibus veluti pullulant quotquot alii nominantur pro varietate objectorum.

Amor enim et odium tam diversimode nos afficiunt, ut spectator cordis humani vel peritissimus vix singula valeat attingere. Sic amor fit gaudium, spes, misericordia, grati animi sensus, admiratio, æmulatio, etc.; quatenus objectum offert bonum aliquod vel præsens, vel futurum, calamitates alienas, accepta beneficia, dotes præclaras, commoda quæ appetimus, etc. Econtra odium fit dolor, metus, pudor, ira, vindicta, etc.; quatenus objectum nobis offert malum præsens, periculum, infamiam, vim, contumeliam. Rursus, sunt varii singularum affectuum gradus: ita gaudium, lætitia, exultatio, bacchatio; ita etiam ira, furor, etc. Porro ut singuli affectus diversis animum agitant motionibus, ita singuli se diversa sibique propria dictione produnt.

Relate ad eloquentiam, affectus sunt illi animi sensus qui, dicente eo qui verba facit, talem in animis audientium mutationem inducunt, ut eadem de re mutetur etiam judicium. Ut jam diximus, duplex est eorum genus: lenium, qui placide subeunt animos, et vehe-

mentium, qui acriter impellunt. Lenes magis initio orationis, vehementes fini potius congruere solent; sed utrumque genus sæpe ita miscetur, ut alterum altero temperari sit optimum ([1]). Lege Cic., de Orat., L. II, c. 53.

In affectibus, ut rite tractentur, tria consideranda sunt : 1° orator qui movere debet ; 2° auditor qui movendus est ; 3° res e quibus hauriendi sunt affectus.

I. Quid spectandum in oratore qui movere debet.

Primus imo unicus affectuum fons, est ut orator ipse afficiatur. Etenim, ut ait Horatius, Arte poet.,

Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi.

Neque enim fieri potest ut doleat auditor, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat, nisi tu ei signa doloris, odii, invidiæ, timoris tui, verbis, sententiis, voce, collacrymatione ostenderis. Uno verbo, nulla mens est tam parata quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris. Cic., de Orat., L. II, c. 188. — Lege etiam ibidem, c. 45, 46, 47.

At quomodo seipsum afficiet orator ? Duplici ratione ; excitando in se *vim imaginandi*, et *sentiendi facultatem*.

1° Imaginandi vis est illa per quam animus imagines rerum sibi ita repræsentat, ut eas cernere oculis ac præsentes habere videatur. Has imagines quisquis optime conceperit, erit in affectibus potentissimus ([2]).

([1]) Cic., pro Lig., 7, 8, 9.

([2]) Apud Homerum, Cantu IX, Ulyssis verba et Achillis responsio ; Cantu XXIV, Priamus ad Achillem. — Dans l'Androma-

Excitatur autem illa vis : 1° res in silentio ac quiete considerando ; 2° legendo oratores ac poetas optimos ; 3° frequenter et accurate scribendo.

Eximium hujusce rei indicat exemplum Fabius, L. VI, c. 2 : « Ut hominem occisum querar, non omnia quæ « in re præsenti accidisse credibile est, in oculis ha- « bebo ? Non percussor ille subitus erumpet ? Non expa- « vescet circumventus ; exclamabit, vel rogabit, vel « fugiet ? Non ferientem, non concidentem videbo ? Non « animo sanguis, et pallor, et gemitus, extremus denique « exspirantis hiatus insidet ? »

2° Sentiendi facultas est illa innata animi dispositio, quà quis aliorum affectiones in suo pectore recipit.

Jam vero hæc sentiendi vis oratori in primis excitanda est ; pectus enim est quod disertos facit, ait Quintilianus. Sic, cum miseratione opus erit, nobis ea ipsa de quibus querimur, accidisse persuadeamus ; nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus parumper illum dolorem [1]. Ita dicemus quæ in simili nostro casu dicturi essemus. Quint., L. VI, c. 2.

Orator tamen, in constituendis affectibus quos vult in dicendo excitare, attendat oportet quæ sit sua ipsius

que de Racine, cette princesse à Céphise. — Dans Télémaque, la tête de Bocchoris. — Athalie : *Un poignard à la main...*, — et le songe. — Boileau, la Mollesse. — Cic., in Verr., de navarchis, et Sestio.

[1] Cic., in Verrem, de supplicio Gavli. — Bossuet, douleur de la reine d'Angl. — Bossuet, ibidem, état de l'Église désolée en Angleterre. — Racine, douleur d'Andromaque. — Corneille, douleur de Cornélie tenant les cendres de Pompée. — Massillon, sur la Passion de J.-C.

natura, quæ vires vocis ac laterum, gestuumque ratio; neque enim omnes apti sunt ad graviores motus. Esset autem inutile, immo vero ridiculum, affectus vehementes sine vehementia, aut solum affectata vehementia proferre.

II. Quid spectandum est oratori in iis quos movere debet?

Cum tota dicendi facultas referatur ad eos qui audient, hi maxime perscrutandi sunt, ubi de affectibus, id est, de obtinenda victoria agitur.

Jam vero, optima ratio qua alienos affectus investigabis, erit ut tibi ipsi studere cures: Γνωθι σεαυτον. Omnes enim in se easdem fere affectiones experiuntur, in eoque tantum differt probus ab improbo, quod suis alter cupiditatibus obsistat, alter serviat.

Provideat igitur orator diligentissime apud quos agat: videlicet quænam sit eorum natura, indoles, educatio, ætas, mores, præsens animi status. Alii enim difficillime, alii facilius; alii vehementibus, alii lenioribus tanguntur affectibus; non raro, ac præsertim si oratoris vel auctoritas vel latera ac vires deficiant, ad leniores potius juvabit confugere, quibus, utpote occultioribus dulcioribusque quasi vinculis, facilius capi se patiuntur homines (1).

2° Odoretur sagacissime quo jam inclinet auditor aut judex, a quo aversetur, quo deduci posse videatur. Hunc pertentet (2) gloriæ illecebris, illum timore infamiæ, alium spe utilitatis suæ, alium periculi metu (3). Sit

(1) Cic., pro Lig., n° 30. — Pro Mil., n° 69.
(2) Cic., pro Marcello, n°s 28, 29; — et pro Lig., n°s 37, 38.
(3) Cic., pro Muræna, n° 85.

duci similis, qui urbem premens obsidio, eam debiliori loco aggreditur.

Si sua jam sponte inclinat auditor, accipiendum est quod ille concedit, atque vela ulterius danda sunt. Si vero quietus est, aut contrario motu agitatus, plus operis est; tunc enim præsenti affectioni consentiendum primum est, ut deinde magna cautela ac sensim sine sensu contrarios motus mitiges, et quos volueris accendas. Etenim hanc vim habet illa dicendi facultas, ut non modo inclinantem animum impellere, aut stantem inclinare, sed adversantem etiam et repugnantem rapere possit.

III. Quid spectandum in rebus e quibus hauriendi sunt affectus?

1° Videndum est utrum motus causa recipiat. In parvis enim ridiculum sit ingentibus uti motibus; perinde, ait Fabius, L. VI, c. XI, ac si cothurnos aptare infantibus velit, et tragœdias agere in nugis (¹).

In foro causæ privatæ et communes, aut magna ex parte carent affectibus, aut habent leniores.

Cum vero causa motus postulat, ex inventis jam argumentis ea præcipue notanda sunt quæ, habita ratione auditorum, maxime apta sint ad recipiendos affectus; ut statuamus hæc ipsa argumenta peculiari quadam cura esse tractanda. Juvabit dispicere num alicubi locus futurus sit illustrioribus figuris, ut Prosopopœiæ, Exclamationi, Apostrophe (²), etc. Item diligenter viden-

(¹) Talia risit Martialis, epigr. de tribus capellis; — et Racine dans les Plaideurs, IIIᵉ acte.
(²) Cic., pro Mil., nᵒˢ 84, 85.

dum qui primarius sit orationis scopus, quidque efficere in auditoribus velimus; tunc non erit difficile statuere quis affectus dominari debeat, et quinam huic primario subvenire possint.

Quædam causæ, quædam pariter causarum partes, mitiores sibi volunt motus; quædam vero, graviores.

In exordio sint vulgo placidi, ac delibentur tantum, non exhauriantur ([1]).

In peroratione licet totos et concitatos effundere; quanquam ipsa peroratio nonnunquam lenes habet: ut si velis adversarium tibi conciliare, amice commonere, ad concordiam hortari.

In narratione possunt adhiberi motus, sed non diu. Res tamen atroces aut miserabiles sine affectu narrari non debent ([2]).

Denique in tota oratione nihil dicendum sine aliquo motu, qui quidem sæpe fiet solo gestu aut vocis sono; ut, verbi gratia, in argumentatione. Dantur etiam affectus quidam breviores et subiti magis, quique orationis vento excitantur, et hi quidem tota oratione disperguntur; sed ut de improviso prorumpunt, sic celeriter quoque recedunt, nec desinunt tamen aculeum in animis relinquere.

2° Affectus non sunt adducendi quasi ex abrupto, ne videaris ebrius inter sobrios, ait Tullius ([3]). Plerumque

([1]) Cic., pro Mil., n° 3. — Bossuet, Exorde pour la reine d'Angleterre.

([2]) Cic., pro Cluentio; et in Verrem sæpe.

([3]) Vide Massillon, Petit nombre des élus, ut præparet animos

auditor solidis primum rationibus edocendus est, ut ejus animus motuum capax fiat. Tum paulatim excitandus est artificiosa rei expositione, singula particulatim et pathetice describendo, ac tandem aliquando irrumpendum est per vehementem aliquam figuram, variaque amplificatione dilatanda res est.

3° Nec sunt affectus, ac præsertim aliqui, plus æquo continuandi. Cito enim arescit lacryma, præsertim in alienis malis. Cic., Partit. orat., c. 17. Item facile deficit affectus qui descendit. Quintil., L. VI, c. 1. Denique semper tonare nullum cœlum amat.

4° Neque tamen in medio æstu præcidendi sunt, cum nondum omnis eorum vis elicita est, necdum victoria parta. Jam ignis pulchre suscitabatur, tuque, perinde ac si incendium timeres, opus relinquis imperfectum et mancum! At non sicut argumentum arripi solet, simul ac propositum fuit, ita de affectu accidit. Sed necesse est multa ac varia oratione eumdem motum diu inculcare, diu versare, donec illum penitus penetrasse senseris. Non amputata oratio et abscissa, monitum Plinii Junioris est, sed lata et excelsa et magnifica tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. Vide Cic., de Orat., L. II, c. 53, in medio.

Exemplum profert Quintil., L. VIII, c. 3, ut, verbi gratia, urbis captæ crescat miseratio : « Qui dicit expug-« natam esse civitatem, complectitur omnia quæcumque « talis fortuna recepit ; sed in affectus minus penetrat

ad motum ultimum in peroratione. — Cic., pro Mil., initio secundæ partis.

« brevis hic veluti nuntius. At si aperias ea quæ verbo uno « inclusa erant, apparebunt effusæ per domos ac templa « flammæ, ruentium tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus quidam sonus; aliorum fuga incerta, « alii in extremo suorum complexu cohærentes, et infantium feminarumque ploratus, et male usque in « illum diem servati fato senes; tum illa profanorum « sacrorumque direptio; efferentium prædas repetentiumque discursus, et acti ante suum quisque prædonem catenati, et conata retinere infantem suum mater; « et sicubi majus lucrum est, pugna inter victores. Licet « autem hæc omnia complectatur urbis eversio; minus « est tamen totum dicere quam omnia » ([1]).

Quanquam, ut dictum est, sunt affectus qui ipsa mora deperduntur; et hoc totum opus postulat certissimum judicium, ut videat is qui dicit, quandonam fecerit satis.

5° Denique oratori, ubi vult movere, duo styli vitia declinanda sunt : 1° Ne utatur genere dicendi obscuro, incerto, mentibus arduo, metaphysico seu universali. Nam obscura ac difficilia mentem torquent, et animi vim exhauriunt; incerta non movent, quia non determinant; universalia longius sunt à sensibus, in quorum tamen affectione tota vis motionum posita est.

2° Ne ambiat nimium elocutionis florem et illas dicendi amœnitates ac delicias. Mollior est illa pictura, quam ut recipere possit inquietam ac turbulentam affectuum naturam, plusque in iis valet impetus et calor quam dili-

([1]) Cic., pro Mil., n° 90. — Pro Lig., n° 9. — Bossuet, Mort de la duch. d'Orl.

gentia. Sit gravis orator, sit vehemens in primis; suavis tamen, sed ea suavitate austera, quæ non tam memoriam concinnitatis suæ, quam cum delectatione aculeos relinquat. Quod certe nunquam obtinebit ille, qui aures tantum numerose quatit, altius autem in pectora non descendit, neque in animis tumultuatur. Quis sapiens non indigne ferat, si in causa gravi, aut miserabili, aut periculi plena, oratorem audiat decurrentibus periodis sese arte exquisita librantem, argutaque verba ac sermonis lenocinium aucupantem? Hic sane non sententiolis lascivire decet, sed ne argumentari quidem, nisi mixtis affectibus, et quidem ita, ut affectus in ipsa etiam probatione emineant.

IV. Qua ratione affectus contrarii restinguendi sunt? Quadruplici potissimum via : 1° Insinuatione. Ubi auditorem violento motu agitatum inveneris, frustra laborabis, si hos motus a fronte velis oppugnare. Aptius erit eisdem primum aliquid concedere, ut dein ad id quod intendis, eum adducas. Quod facies, si rem ipsam, cujus amplificatione creverat affectus, tu paulatim minuas, et motum revoces ad frigidam rationem (1).

2° Animi tranquillitate; quippe quæ tunc est quasi lana contra vim opposita (2).

3° Motibus contrariis; neque tam indiget ea res præceptis, quam usu (3).

(1) Ulysse à Agamemnon, dans l'Iphigénie de Racine.— Quint. Curt. Cœnus ad Alex. — Burrhus à Néron dans le Britannicus de Racine.

(2) Maury dans l'Assemblée constituante, discours pour le clergé.

(3) Cic., pro Muræna, n° 81;

4° Risu atque jocis, quibus sæpe nihil potentius est; nam, teste Horatio, Satir. L. I, satir. 10:

. . . . . Ridiculum acri
Fortius ac melius magnas plerumque secat res.

At nihil difficilius rariusque quam ridiculum apte ac decenter tractatum; testes sunt duo priscæ eloquentiæ principes: cum plerique uni, Demostheni, facultatem hujus rei defuisse credant; alteri, Ciceroni, modum. Quintil., L. VI, c. 3. Vide, si libet, plura de risu, Cic., *Orator*, c. 26, et de Orat., L. II, c. 54, 58.

—o—

PARS TERTIA.

DE DISPOSITIONE ORATORIA.

Dispositio est ea pars Rhetoricæ quæ res inventas in ordinem distribuit.

Dispositionem esse in eloquentia maximi momenti per se patet. Ut enim milites dispersi aciem non constituunt; ac lapides, nisi ordine suo et loco ponantur, non ædificium, sed acervum faciunt: ita res optimæ et argumenta, nisi certo ordine locum obtineant, congeries erit et chaos quoddam, non oratio. Neque putandum est eo excellen-

tiorem fore orationem, quo magis enitebunt ejus diversæ partes, sed quo aptius eædem inter se et cum integra oratione convenient, ut vis omnis rerum et pondus in unum inclinare videatur. Ordinis enim hæc virtus est, ait Horatius. Porro eminet in inventione quidem ingenii fecunditas; in dispositione vero, judicium.

Dispositio duplex : altera quæ a natura, altera quæ ab oratoris cujusque industria pendet. Vide Cic., de Orat., L. II, c. 76.

Prior vocatur simpliciter dispositio, naturalesque respicit orationis partes; de qua nunc tractandum est.

Posterior, quæ est artificiosa dispositio, vocatur orationis informatio, versaturque in ipsa causæ tractatione, et in rebus singulis pro opportunitate collocandis, de qua alibi sermo erit.

Jam vero in oratione qualibet exigitur a natura, ut, quando rem aliquam publice dicendam aggredimur, eam non abruptim, sed accessione quadam attingamus, exin tractemus, ac demum concludamus.

Hinc tres generatim in quavis oratione partes : *principium, causæ tractatio* seu *contentio,* et *epilogus* seu *peroratio.*

Principii nomine comprehenditur tum *exordium,* tum *causæ expositio,* quæ habet ipsa *propositionem,* et si opus sit, *partitionem* ac *narrationem.* Deinde contentio in *confirmatione,* et, ubi oportet, *confutatione* versatur. Hinc septem omnino possunt inesse orationi partes : Exordium, Propositio, Narratio, Partitio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

Narratio oratoria forensi eloquentiæ propria ac peculiaris est. In plerisque causis forensibus, satis habet ille qui causam agit, si factum perspicue narret, suas firmet rationes, adversas refutet. Artificiosa autem exordia acresve epilogi ad majores causas reservantur.

Nonnunquam monet ars ipsa ut consuetus orationis ordo negligatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Exordio.

Exordii vox metaphorice sumpta est a textoribus, qui *telam exordiri* dicuntur, cum certa lege fila sua prius componunt. Est autem ea pars orationis quæ auditorum animos idonee præparat ad reliquam dictionem.

I. Exordii munus.

Orator præparabit auditorem, si illum faciat *benevolum, attentum, docilem;* aliis verbis, si faciat ut *amice*, ut *attente*, ut *intelligenter* audiatur. Cic., Partit. orat., c. 8.

Recte autem monet Tullius hæc tria non principii magis esse propria, quam reliquarum partium; sed tunc esse faciliora et illustriora. De Orat., L. II, c. 79.

1° Auditorem reddet *benevolum*, si mores tum suos, tum etiam clientis laudabiles exprimat; si judici suspectam reddat adversariorum aut eloquentiam aut gratiam, si audientes juste ac moderate laudet.

Est interdum urbanitatis, vel etiam consuetudinis, ut circa exordium laus aliqua cœtui aut insigniori viro impertiatur. Sed in hoc notandum est : 1° laudem nauseari,

si sit fatua aut fiat assentatorie; 2° eam utili quadam veritate conspergendam esse, cum res id postulat aut patitur; 3° ita eam connecti debere causæ, ut ex illa veluti fluere videatur ([1]).

2° Faciet *attentum*, si significet se de jucundis vel utilibus, vel magnis ac necessariis rebus esse dicturum ([2]). Recte etiam oratores solent attentionem verecunde postulare ([3]).

3° Faciet *docilem* (id est docibilem, facilem edoctu) seu intelligentem, si aperte ac breviter summam causæ exponat, ac proinde si definiat, si dividat; si neque prudentiam auditoris impediat confusione partium, neque memoriam multitudine ([4]), Cic., Partit. orat., c. 8; denique si præjudicia quæ contra causam, vel clientem, vel oratorem esse initio possunt, accurate discutiat ac profliget ([5]). Porro hæc fere omnia, ut patet, pertinent ad principium late sumptum.

Adverte tria exordii munera non semper ab oratore simul omnia præstari, nec præstanda esse. Modo benevolentiam, modo attentionem, modo docilitatem parari satis est.

([1]) Massillon, Exorde du sermon de la Toussaint. — Bossuet, 2e sermon pour le même jour, péroraison. — Cic., pro Milone, n° 22. — Divus Paulus ad Philemonem, v. 4... et ad præsidem Felicem, Actib. Apostolor., c. 24, v. 10..., et ad regem Agrippam, c. 26, v. 2...—Bossuet, Or. fun. de Condé, 2e partie, compliment au fils de ce prince.

([2]) Cic., pro Lege Manil., n° 3.

([3]) Pro Milone, n° 23; pro Archia, n° 3.

([4]) Pro Milone, nos 31, 32.

([5]) Pro Muræna, et pro Milone.

II. Dotes boni exordii.

Exordium debet esse accuratum, proprium, verecundum ac breve.

1° Debet esse accuratum, sed sine affectatione. Igitur sit aptum verbis, sententiisque instructum; prima enim cognitio et commendatio orationis proficiscitur ab exordio : quod si rude et quasi neglectum fuerit, reliqua jam inde fastidiet auditor; præterquam quod illa exordientis incuria audientibus ipsis contemptui esse videbitur [1].

Attamen curam nimiam in principiis ostentare vitium est. Displicet enim calamistratum exordium, quasi velit orator se ipsum prædicare. Vana autem verborum pompa contemptum parit; imo ubi de forensi causa agitur, formæ exquisitiores in exordiendo dabunt etiam suspicionem fuci. In genere autem demonstrativo, ubi jam favet auditor, et magna exspectat, licet exordiri splendide pro rei natura; sed a quocumque exordio semper extrudendæ sunt ambitiosæ ampullatæque formæ dicendi.

2° Debet esse causæ proprium, ita ut appareat penitus ex ipsa causa effloruisse, et reliquæ orationi tanquam corpori caput aptetur [2].

Contra hoc præceptum peccabit exordium : 1° si sit *separatum*, id est nimis a longe petitum, aut causæ non congruum; 2° si *vulgare*, id est si pluribus causis æque accommodari possit; 3° si *commutabile*, id est si ab adversario usurpari queat.

[1] Cic., pro Lege Manil. Sed omnia fere Tulliana exordia præ oculis habenda sunt.

[2] Bossuet, exorde du discours sur l'unité de l'Église.

3° Debet esse verecundum, ac præ se ferre pudorem ac modestiam. Principia verecunda, ait Tullius, non elatis incensa verbis, sed acuta sententiis, vel ad offensionem adversarii, vel ad commendationem sui. Ita Cic., *Orator*, c. 36. Nondum enim bene se firmavit orator, nec ille ipse qui audit se commisit satis. Ideo decet affectus tunc esse leniores et solum inchoatos ([1]).

4° Tandem debet esse breve. Porro quidquid ad præparandum auditorem non confert, frustra est in exordio. Male igitur illi qui plurima ad hunc finem inutilia fundunt ab initio, inanique verborum ac sententiarum circuitione detinent auditorem. Solent juvenes ita superflue exordiri.

In genere, breve erit exordium, si reliquæ orationis magnitudini accommodetur. Interdum tamen causa, utpote difficilis ac delicata, longiori præparatione indiget, qua minime peccatur contra brevitatem ([2]). At in deliberatione exordia potius aut brevia, aut etiam nulla esse debent; neque enim ut supplex ad judicem orator accedit, sed ut hortator et auctor.

Quandonam igitur excogitandum est exordium? Respondit Tullius : Tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, tum demum considerandum quo principio utendum sit : ita facile reperietur; nec erit jejunum, vulgare, separatum ([3].) De Orat., L. II, c. 78.

([1]) Cic., pro Milone.
([2]) Cic. in Rullum, de lege agraria, ad populum.
([3]) Racine, dans *les Plaideurs*, 3e acte, discours de Petit-Jean et de l'Intimé, a signalé tous les défauts d'un exorde.

III. Qui sunt exordiorum fontes?

1° In primis duci solet exordium ab adjunctis personæ, loci, temporis; ita maxime fit, ut sit causæ proprium : idque familiare Tullio fuit.

2° Erui potest a contrariis, cum scilicet adversario favere primum videmur, ut eum postea nihil minus cogitantem ad nostra protrahamus; in quo sane artis est et industriæ plurimum.

3° Ab illustri quopiam exemplo vel effato, vel quæstione, qua aditus ad causam illustris pateat.

4° Egregie fit per suspensionem, vel ut mentes acuat magna quadam expectatione, vel ut ad vividum sensum animos adducat. Vide Cic., de Invent., L. I, c. 17.

IV. Quotuplex exordiorum genus?

Omne principium, inquit Cicero, aut rei quæ agitur significationem habere debebit, aut aditum ad causam et munitionem, aut quoddam ornamentum ad dignitatem. De Orat., L. II, c. 79.

Hinc triplex genus : *Principium simplex, Insinuatio, et Magnificum exordium* : addi solet *Exordium ex abrupto.*

1° *Principium simplex* est illud in quo sine ambagibus rei significatio habetur. Locum habet in causis vulgaribus et ad quas auditor animo jam præparato accedit; tunc perspicue ac protinus eum orator facit benevolum, aut docilem, aut attentum, atque ita suaviter ac paucis ad causam adducit [1].

[1] Ita fere semper in genere sacro. Vide passim optimos oratores.

2° *Insinuatio* illa est, in qua orator artificiosa quadam verborum conciliatione præparat audientium animos.

Vocatur *exordium legitimum*, quia illi fere unice omnes exordii leges referuntur.

Insinuatione opus est, cum genus causæ videtur auditori incredibile, admirabile, dubium et anceps, obscurum, inhonestum. Tunc orator indiget perita quadam dissimulatione et circuitione, ut latenter subeat male dispositos auditorum animos. Vide Cic., de Invent., L. I, c. 15 (1).

3° Exordium fit *magnifice*, cum orator, sententiarum gravitate, verborumque ac figurarum copia, statim ab initio quasi vela omnia expandit orationis (2).

Usus hujus exordii est in causis honestis, ubi auditor non solum favet, sed magna etiam expectatione tenetur.

4° Exordium fit *ex abrupto*, cum orator, quasi propriæ motionis impos, ipse illico erumpit in affectus. Hujus exordii magna vis est in repentinis, stuporem, horrorem aut admirationem moventibus. Oportet autem ut auditor jam, vel ex se ipso, vel ex adjunctis, sit ad accipiendum motum paratus (3).

(1) Ita sæpe in magnis causis forensibus. Evolve Tullium ubique in exordio

(2) Bossuet, exorde de l'Or. fun. de la reine d'Anglet. et de Condé ; exorde du 2e sermon de la Toussaint, de Pâques, de l'Ascension, etc. — Fléchier, exorde de l'Or. fun. de Turenne.

(3) Cic., 1a in Catilinam. — Bossuet, exorde de l'Or. fun. de la duch. d'Orléans. — Tit. Liv., Pacuvius ad Perollam.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causæ Expositione.

Causæ expositio tria complecti potest ; Propositionem, Divisionem, Narrationem.

I. De Propositione.

Propositio est ea pars orationis qua designatur auditori summa totius causæ, in qua animum debet habere occupatum. Includit finem quem in dicendo ipse intendit orator.

Propositio vel est simplex, vel multiplex : simplex, cum unicus est in oratione finis; multiplex, cum in una eademque causa insunt diversi generis objecta, suis seorsim argumentis roboranda [1].

Propositionis dotes.

1° Sit clara, ita ut non modo intelligatur, sed etiam nec possit non intelligi. Quapropter simplici brevique sermone exprimatur, non quidem verbis nimium vulgaribus, sed multo minus exquisitis [2]. In foro sejungatur accurate, ac dividatur quid in controversiam veniat, quid adversario concedatur.

2° Unitate polleat, ita ut quæcumque dicentur, in unum quid redeant, utque orationis omnia argumenta, partes omnes in propositionem, velut in scopum metam-

(1) Propositio simplex : Bossuet, pour la reine d'Angleterre : *Elle a entendu la leçon que Dieu donne aux rois.*

Propositio multiplex : Cic., pro Lege Manilia ; pro Muræna ; grande Passion de Bourdaloue.

(2) Bossuet, pour la duchesse d'Orléans.

que, colliment. Ex hujus enim unitate desumitur unitas ipsius orationis.

Ab arte autem oratoris ac prudentia pendet, utrum propositio exprimi debeat; an vero melius sit eam, saltem ab initio, vel ex integro, vel ex parte reticere ([1]). Sæpe in parvis orationibus, vel ubi res ardua attingitur, non apparet propositio nisi post allata argumenta ([2]).

II. De Divisione seu Partitione.

Divisio seu partitio est earum rerum, quas dicturi sumus, ordine collata enumeratio.

Ubi multiplex est propositio, cum ea partitio confunditur; ubi propositio est simplex, hujus partes explicat divisio.

Rursus, quoniam vix unquam accidit singulas præcipuarum partium unica probatione firmari; earum unaquæque minutioribus coalescit partibus, quæ vocantur *Subdivisiones.*

In his subdivisionibus, ait Tullius, de Orat., L. II, c. 41, proponi etiam oportet quid afferas, et id quare ita sit, ostendere ([3]); sæpe non proponere, sed ratione ipsa afferenda quid proponendum fuerit, declarare.... Puncta argumentorum plerumque occulenda sunt; ne quis ea numerare possit; ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.

([1]) Cic., pro Milone, nº 6.

([2]) Racine, discours d'Ulysse à Agamemnon, dans *Iphigénie.*— Corneille, discours de D. Diègue pour son fils, dans *le Cid.* — Apud Homerum, Cantu XXIV, Priamus ad Achillem.

([3]) Hæc singula proponendi cura quantam vim, quantam lucem afferat in orationibus, vide passim apud Tullium et Bossuet.

Virtutes partitionis.

1° Sit partitio *plena*, seu *absoluta*, seu *adæquata*; id est, ejus membra totam amplectantur et adæquent propositionem quæ dividitur, causamque omnem exhauriant.

2° Non sit, ut aiunt, *reciproca*; id est, ita debent ejus membra invicem opponi ut unum in aliud non recidat, unumque in alio non contineatur. V. g., vitiosum est ita dividere : « Ostendam propter cupiditatem, et audaciam et avaritiam adversariorum, omnia incommoda ad Rempublicam pervenisse; nam genus est omnium libidinum cupiditas, cujus pars est avaritia. » Cic., de Invent., L. I, c. 23.

3° Sit *plana* ac *naturalis*, non vero ad artis ostentationem, exquisite aut symetrice per vanas antitheses exposita [1].

4° Sit *per quamdam gradationem*, quantum fieri potest, ordinata ; ut crescat oratio vi ac jucunditate ; utque id quod fortius est, vel in se vel potius relate ad auditores, posteriori loco ponatur [2].

5° Non sit fere *plus quam duarum* aut *trium partium*; si enim sit nimis articulosa, pariet illam obscuritatem contra quam fuit inducta.

Subdivisiones autem, quamvis numerosiores esse possint, non debent tamen minuta veluti frustula ostendere ; secus enim oratio, formosi corporis loco, horrida compages ossium apparebit.

(1) Bourdaloue diutius sæpe versat partitionem, vitiosioresque fecit imitatores.

(2) Cic., pro Milone.

Cic., de Invent., L. I, c. 23, laudat hunc locum Terentii, ubi partitur breviter et commode senex in Andria:

> Eo pacto, et gnati vitam, et consilium meum
> Cognosces, et quid facere in hac re te velim.

Deinde quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat.

De partitionis utilitate.

Non modica controversia est utrum partiendum sit, necne.

Est fortasse quæstio mera verborum, nec satis claris posita terminis. Quidquid sit, hoc prorsus tenendum videtur:

In mente quidem semper oportet ut dividat orator, nisi velit omnia miscere, seque et alios in obscuro dædaleoque opere vagari.

Sed ad oratorem ipsum pertinet videre ubi hanc conceptam animo partitionem prosit audientibus explicare. Et sane, juxta Tullium, de Invent., L. I, c. 22, recte habita in causa partitio illustrem et perspicuam totam efficit orationem. Ipseque, ubi nihil obstat, accurate dividit ac subdividit. Vide orationes pro Archia, pro Lege Manilia, pro Muræna, pro Milone, etc. Idem agunt tum Æschines, tum Demosthenes in celebri actione pro Corona.

Itaque partitionis explicatio prodest in gravibus pacatisque causis; item in intricatis, in longioribus, et ubicumque docendus est potissimum auditor; tunc enim, ut observat Fabius, hæc lumen affert orationi audientiumque attentionem fovet, præsertim rudium.

Non est autem necessaria, nec proinde adhibenda, cum causa aut brevis est, aut se per se ipsam satis explicat.

Interdum noxia esse potest, ut in fervidis et solertibus. Nam in fervidis plurimum oberit motuum agitationi illa nimis ordinata rerum expositio ([1]); in solertibus autem, ubi nempe monet ars ipsa per cuniculos ad scopum pervenire: imprudens sit orator, qui suas ipse insidias prædicet adversariis ([2]).

Prava igitur exempla quæ contra partitionis usum a nonnullis adducuntur, non rem ipsam malam esse arguunt, sed malum rei abusum.

III. De Narratione oratoria.

Duplex narratio oratoria distinguitur:

Una, de qua hic loci præcipue agitur, est facti illius cui causa ipsa innititur, utilis ad persuadendum expositio. Hæc narratio reliquæ totius orationis fons est, et quasi sedes ac fundamentum constituendæ fidei. Cic., Partit. orat., c. 9. Unde forensi eloquentiæ propria est, ibique distinctam orationis partem constituit.

Altera narratio est de factis quæ causam vel illustrant, vel ornant, vel corroborant. Hæc in vitæ laude aut vituperio in primis usurpatur, soletque sedem habere passim in Confirmatione.

Dotes Narrationis oratoriæ.

Narratio oratoria debet esse 1° *artificiosa*, id est cum oratorio artificio exposita. Valde autem e narratione tum historica, tum poetica discrepare eam oportet. Ad id

([1]) Cic., Philipp. II[a] et in Catil. I[a].
([2]) Cic., pro Lig.

enim tantum narrat historicus, ut veritas pateat; narrat poeta in primis ad delectandum, orator vero intendit, ante omnia, ut factum causæ persuasionique inserviat. Idcirco curat ut sua narratio contineat omnium argumentorum veluti semina, inutilia fini suo resecat, adversa reticet aut leviter ac delicate tangit, faventia latius exaggerat.

2° Sit *verisimilis*, seu *credibilis*. Ad id intermisceantur causæ illæ et rationes, e quibus factum natura sua progredi videatur. V. g., si accusas hominem furti, eum constitue cupidum; si homicidii, temerarium, etc. Vide Cic., Partit. orat., c. 35, in medio.

3° Sit *perspicua*, resque, personæ, tempora aliaque adjuncta ita distincte exponantur, ut judex facillime percipiat. Atque ideo vult Tullius ut sit prope quotidiano sermone explicata dilucide. *Orator*, c. 36. Narratio enim cæca, juxta eumdem, obscurat totam orationem; unde cavendum est a verbis inusitatis, ambiguis, abstrusis, imo et translatis.

4° *Brevis* erit, si factum inde cœperit exponi, unde ad judicem pertinet; si nihil omittatur quod inserviat utilitati et cognitioni, nihil insit quo sublato causa æquali robore firmaretur.

Non peccat itaque contra brevitatem qui suaviter, ubi oportet, narrat; peccaret vero qui inutilia etiam rapide diceret, cujus vitii exemplum dat Tullius, de Invent., l. I, c. 29: « *Accessi ad ædes, puerum evocavi; respondit; quæsivi dominum; domi negavit esse.* Satis « fuit dixisse : *domi negavit esse.* »

5° *Suavis* tandem esse debet, non vero inornata, alioqui videretur indocta, placetque magis via arboribus consita, etsi paulo longior, quam si per arida abruptaque conscendendum sit. Suavis autem erit, si parva presse, magna ample, atrocia invidiose, tristia miserabiliter, læta jucunde narrentur; si habeat expectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, iracundias, metus, lætitias, cupiditates, etc. Cic., Partit. orat., c. 9. Vide etiam de Orat., L. II, c. 80.

ARTICULUS TERTIUS.

De Contentione, seu corpore orationis.

Contentio est ea pars orationis in qua firmamenta causæ afferuntur.

Præcipua est ac potissima, ut patet, totaque persuadendi spes in ea sita est.

Constat autem Confirmatione, et Confutatione.

CONTENTIONIS PARS PRIOR.

De Confirmatione.

Confirmatio ea est pars contentionis, ubi orator rem a se propositam explicat et munit.

Innititur argumentis et argumentorum explicatione seu argumentatione. De prioribus jam in inventione dictum est; restat ut de argumentatione agamus.

I. De Argumentatione.

Argumentatio est argumenti seu probationis explicatio,

ita ut mentem clarius feriat. Sic v. g. affirmat Cicero *bellum mithridaticum esse diligenter gerendum;* et probat hoc duplici argumento : *quia est genere grave, et magnitudine periculosum.* Res vero clarius sane menti elucescet hujusmodi argumentatione seu explicatione probationis :

Illud bellum diligenter suscipiendum est, quod est natura grave, et magnitudine periculosum.

Sed natura grave et magnitudine periculosum est bellum mithridaticum.

Igitur diligenter suscipiendum est bellum mithridaticum.

Hic ergo pauca ex Logicis delibare necesse est.

Argumentatio logica, sive ratiocinium, est quædam mentis operatio qua unum judicium ex alio vel pluribus aliis infertur.

Ejus autem artificium in eo versatur, ut, ope propositionis adventitiæ, ostendatur in aliqua propositione generali tertiam ac particularem contineri propositionem quæ probanda est.

Ex. : Omnis qui vim vi repellit, est pœna liberandus. (Propositio gener.)

Sed Milo est qui vim vi repulit. (Propositio particul.)

Igitur Milo est pœna liberandus. (Conclusio.)

Postquam factis ostenderit Cicero propositionem particularem in generali contineri, clare apparebit ejus scopus quem exprimet conclusio.

Itaque in ratiocinio exstant tres ideæ, triaque judicia. ***Prima idea,*** generalis, est ***pœna liberandus*** seu ***inno-***

cens : secunda idea, particularis, est *Milo,* quam invenire oportet in idea generali quasi latentem. Jam vero ad id *tertia idea, vim vi repellens,* advocatur.

Duæ priores ideæ dicuntur *termini extremi;* tertia autem, *medius terminus.*

Tria pariter insunt judicia ; primum quo affirmatur in priori termino contineri terminum medium ; secundum, quo iterum affirmatur in medio termino contineri posteriorem extremum ; tertium, quo tandem affirmatur in priori termino contineri etiam posteriorem. Patet igitur naturam ratiocinii hoc fundari principio : « Primum, continens secundum quo tertium continetur, necessario continet etiam hoc tertium. »

Præcipuæ argumentationum formæ sunt Syllogismus, Epicherema, Enthymema, Dilemma.

1° *Syllogismus* (a συλλέγω, *colligo*) est argumentatio tribus constans propositionibus ita inter se connexis, ut duabus concessis prioribus, tertia necessario concedenda sit. Exemplum jam allatum est.

Prima syllogismi propositio vocatur *major* seu *propositio* simpliciter, quia solet esse generalis.

Altera dicitur *minor* sive *assumptio,* quia minus late pátet. Utraque, major scilicet et minor, *præmissæ* vocantur.

Tertia dicitur *conclusio,* seu *illatio,* seu *complexio.*

2° *Epicherema* (ἐπιχειρέω, *manu aggredior*) nihil aliud est quam syllogismus cujus alterutra præmissa vel utraque statim sua probatione munitur. Ex. :

Qui vim vi repulit, ille pœna liberandus est.

Vim enim vi repellere licet per legem tum naturalem, tum humanam.

Atqui Milo vim vi repulit.

Probatur enim ex facti ipsius expositione et adjunctis.

Ergo Milo pœna liberandus est.

3° *Enthymema* (ab ἐνθυμέω, *in mente retineo*) est syllogismus in quo alterutra præmissarum subauditur et omittitur. Unde eum vocant *syllogismum truncatum*. Duas itaque solum propositiones habet; quarum prior *antecedens*, posterior *consequens* dicitur. Ex.

Milo vim vi repulit :

Ergo pœna liberandus est.

4° *Dilemma* (a δὶς λαμβάνω, *bis capio*, *assumo*) est argumentatio composita, ubi divisis adversarii rationibus, singulæ seorsim oppugnantur : nihil autem aliud est dilemma quam aggregatio duorum vel plurium enthymematum.

Constat vero partibus oppositis quæ omni parte adversarium feriunt; unde *syllogismus cornutus* appellatus est, quia veluti cornua habet ita disposita, ut si unum effugeris, in aliud incurras necesse sit. Sic Tullius ad Antonium, Philippica 2ª :

Interfectores Cæsaris vel sunt patriæ liberatores, vel parricidæ.

Si patriæ liberatores, ergo stulte arguor a te socius eorum fuisse.

Si parricidæ, ergo male a te honoris causa nominantur.

Forma argumentationis oratoria.

Philosophicam argumentationum formam, utpote inornatam ac jejunam, dissimulant oratores. Itaque proposi-

tiones ratiocinii suo dimovent ordine, variant stylo, vel reticent; item amplificant, ornant verbis figurisque roborant aut illuminant [1]. Tractatio enim varia esse debet, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Cic., de Orat., L. II, c. 48.

Syllogismum philosophicum manui complicatæ, oratorium exporrectæ palmæ Zeno comparabat. Syllogismus oratorius ad solide ac fuse dicendum valet plurimum; sed nisi res ipsa largiorem hanc argumentationis formam expostulet, languor facile inde enascitur. Ex.: Cic., pro Mil., n° 32.

Enthymemate magis gaudere solent oratores, eo quod validius celeriusque feriat; unde jaculum oratoris appellatur. Et Aristoles: ἐνθύμημα καλέω συλλογισμὸν ῥητορικὸν [2].

Forma dilemmatis solet minus dissimulari, quia ejus vis in eo stat, ut minantia illius cornua manifeste appareant. Hoc exemplum dat Cicero: « Si improbus est, cur uteris? sin probus, cur accusas? »

Soliditatem argumentorum ratiocinatione logica tentare sæpe prodest oratori, ne quid, quod speciosum quidem sed minime solidum sit, in causam facile irrepat.

Quodlibet igitur argumentum, aut saltem ex præcipuis,

[1] Cic., pro Muræna, a n° 23 ad 30, tractat egregie syllogismum. — Item, pro Lege Manilia, n° 6, syllogismi majorem reticet, conclusionem mutat loco. — Pro Milone, n° 8, in fine conclusionem illustrat figuris.

[2] Cic., pro Lege Manilia; Iª et 3ª pars constant claris enthymematibus. — Ovidius inducit Medeam dicentem: « Servare potui, perdere an possim rogas? » — Racine, dans Bajazet : *Il n'est point condamné, puisqu'on veut le confondre.*

Ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε, θνητὸς ὤν.

Mortel, ne garde point de haines immortelles.

informet in modum syllogismi, vel enthymematis; tum ex variis ratiocinii propositionibus, videat quænam indigeat probatione, quænam fusius, quænam brevius tractari conveniat, quænam etiam omitti, utpote jam perspicua; denique quis inducendus tabellæ rudi color verborum, sententiarum, figurarum.

De sophismatibus, ut caveantur, consulendi Logici.

II. Unde pendeat vis Argumentationis.

Pendet ab argumentorum delectu, ordinatione, nexu, amplificatione.

1° De argumentorum delectu.

Equidem, ait Tullius, de Orat., L. II, c. 76, cum colligo argumenta causarum, non tam numerare soleo, quam expendere. Enimvero minus ex probationum multitudine, quam ex earum vi exurgit ipsa orationis efficacia.

Ut recte seligantur argumenta, attendendum est eorum vel in se pondus, vel relate ad eos qui audiunt.

Argumenta, si in se spectentur, alia sunt certa, alia probabilia, alia etiam dubia. Certis tantum uti solet philosophus, qui nihil plerumque intendit, nisi ut certitudinem pariat. Ast oratores sæpe etiam ad probabilia recurrunt. In causis enim eloquentiæ non raro sufficit, si res vere probabilior esse demonstretur, aut etiam, ut in crimine capitali, si accusatio dubia evadat. Ideo nec dubia argumenta spernunt, vel ut inter se uniantur, vel ut aliis ad robur accedant ([1]).

([1]) Cic., in orat. pro Milone. nihil fere habet, quam argumenta aut dubia aut probabilia.

Jam vero argumenta quæ adhibebuntur: 1° debent esse causæ præsenti ita propria, ut eam vere muniant. Ablegandi autem omnino loci illi vulgares, qui nihil probant, illustrant nihil.

2° Sint argumenta, ad eorum qui hic et nunc audiunt intellectum, accommodata. Nihil enim efficient, si non capiantur; unde rejici debet illa, quam non pauci affectant, profunditas et inopportuna eruditio, quæ tenebras, nedum lucem, afferunt plerisque audientibus.

3° Earum in primis probationum habenda ratio est, quæ propius auditorem tangunt; quæ loci ac temporis opportunitatem habent; quæ audientium indoli, opinioni, ætati, cæterisque animi dispositionibus congruunt. Trahimur enim omnes boni specie; sed aliud aliis bonum videtur; his utile, illis jucundum, nonnullis etiam honestum; alia denique alio tempore juvant ac placent.

Orator ergo, cum seligit argumenta, se ipsum diligenter et attentissime interroget, utrum ipse moveretur, si hujus sui auditoris loco adesset.

2° De argumentorum ordinatione.

In ordinandis argumentis proponi solet imperatoris exemplar, copias suas ad pugnam explicantis.

Communior ordo ille est quem homericum vocat Quintilianus, L. V, c. 12; quia sic Homerus Nestorem dicit aciem explicasse : Consistitque in eo, ut firmissimum quodque sit primum ; ita tamen ut serventur etiam ea quæ excellant ad ultimum : si quæ vero mediocria erunt, in mediam turbam atque in gregem conjiciantur. Lege Cic., de Orat., L. II, c. 77 in fine.

Hæc quidem præcipiuntur in genere ; at in usu ipso aliud sæpissime res postulat.

Quod si auditor alienatus a causa sit, incipiendum procul dubio ab aliqua probatione, quæ vim habeat; tunc enim causa fieret deterior, nisi statim videretur in melius progredi. Illud autem idem argumentum, si alia valida desunt, iterum in fine inculcabitur.

Econtra, ubi jam causa placet, nihil obstat quin a minoribus ad majora ascendas.

Ast ubique cavendum est ne in pejus declinet, sed ut crescat semper et augeatur oratio.

Tandem, si res gravis sit momenti, non timendum est oratori ne nimius sit in refricandis iisdem probationibus; ille sæpe revocet quid agatur, quid veniat probandum ; quod tamen faciat sine fastidio. Ita Tullius pro Milone, ita Demosthenes pro Corona, idem sæpe et mira varietate repetunt. In hoc multi peccant oratores, quod auditor, si paulummodo dormitet aut mente aberret, consequi non possit ubi sint, quamve partem orationis tractent nusquam aut sero deprehendit.

3° De argumentorum nexu.

Nexus probationum plurimi habendus est. Hæc enim connexio rerum omnium quasi flumen continuum facit, ut omnia veluti concreta vi ad finem obtinendum agant.

Hujus rei autem perfectio est, ut argumenta sequentia præcedentibus succedere ex natura sua videantur. Tunc perito oratori accidit, quod illis qui lapides optime sectos facile uniunt sine calce et arena. Ita fit sua sponte transitus, ut nec animadvertatur, nedum verborum nexu

indigeat. Sed ad id sane requiritur matura rerum consideratio ([1]).

Sæpe tamen res non ita naturaliter sibi cohærent; tum vero ad earum unionem inserviunt *commissuræ oratoriæ*, seu *transitiones.*

Transitio est quædam verborum aut sententiarum præparatio qua utitur orator, ut ex alio ad aliud accedat.

In commissuris oratoriis hæc observanda sunt :

1° Ne sint verbis nimium tritæ aut vulgares; in quo juvenes facile peccant. Declinabitur autem unius tenoris vitium, si commissuras quandoque figuræ, ut interrogatio, apostrophe, etc., quandoque imagines aut affectus illustrent ([2]).

2° Neque semper optimæ sunt illæ quæ subtilius contexuntur, nimiamque redolent artem. Aliquam potius amant simplicitatem.

Coram imperita multitudine; aut in causa seria et ad docendum directa, præstat uti simplicioribus ([3]). Magis exquisitæ decent coram docto auditore et ubi delectandum est.

Anacephalæosis autem sive enumeratio, si qua ad nexum et claritatem facienda est, priusquam ulterius procedatur, perspicue omnino fiat ([4]).

([1]) Fléchier passe naturellement des vertus morales de Turenne à sa conversion; — et Massillon, Petit Carême, humanité des grands, de la 1re à la 2e partie.

([2]) Cic., pro Lege Man., n° 27. — Bossuet, Or. fun. de la duch. d'Orl. : *La grandeur et la gloire!* — Cic., pro Mil., n° 72.

([3]) Cic., pro Lege Man., 17.

([4]) Cic., pro Mil., n° 52; et pro Lege Manil., n° 19 in fine.

Orationis nexui officiunt nimis frequentes, nimiumve productæ *digressiones.*

Digressionibus tamen sua est utilitas, dummodo ex causa facile prodeant, et inservire possint ad auditorem vel erudiendum, vel recreandum. Si habet eam causa dignitatem atque copiam, ait Tullius, recte digressio fieri potest. De Orat., L. II, c. 77 (¹).

4° De argumentorum amplificatione.

Ad sublimitatem orationis, ut Longinus loquitur, potissimum confert *Amplificatio.* Hac enim arte eloquentia elucet ac triumphat; hac imprimis orator à philosopho secernitur.

Porro *amplificatio,* inquit Tullius, est *gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem.* Partit. or., 15.

Hæc definitio rem tanti momenti in eloquentia aptissime declarat. Nam amplificare, est argumentum ita gravius affirmare, ut et mens audientis fidem majorem, et illius animus majorem affectum erga causam concipiat.

Amplificationem definiebant Isocrates ac sophistæ græci : artem illam, qua ex parvis ampla fiunt. Recte quidem, si, ad sensum Tullii, intelligebant ea quæ *parva videntur* auditori *nec sunt,* amplianda esse, ut veritati tandem pateat via; sin minus, risu contemptuque prorsus

(¹) Cic., pro Archia, laus litterarum; pro Mur., de stoica philosophia, n° 61. — Bossuet, Or. fun. de la reine d'Angl., sur les causes des révolutions; Or. fun. d'Anne de Gonzague, sur Charles-Gustave et sur la Fronde.

digna est definitio : perinde ac si amplificatio instituta sit ad vanam ostentationem ingenii, aut quod pejus sit, ad depravandas obscurandasque veritates.

Ex definitione Tulliana, duplex est amplificandi ratio.

1° Amplificatur ad *faciendam fidem;* videlicet ut manifestius ac plenius vis probationis eluceat. Etenim in hoc a philosopho discrepat orator, quod ille, prolato breviter ac præcise argumento, soleat mentis acumini relinquere plurima ; hic vero debeat hujusmodi laborem sibi ipsi assumere, resque optime digestas auditoribus exponere ([1]). Eam ergo vim omnem probationis, quæ argumento brevi latitabat, amplificatio fusiori stylo explicat ac penitus expandit, incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie, etc. Quemadmodum humor paulatim germen in plantis enucleat, ut earum particulæ accrescant, ac distincte appareant.

Hic amplificandi modus quandoque sufficit oratori, cum scilicet res tantum illustrari debet ([2]).

2° Sed ad plenissimum effectum eloquentiæ, *amplificatur simul ad motum.* Est enim amplificatio, inquit etiam Tullius, vehemens quædam argumentatio. Partit. orat., c. 8.

Ubicumque igitur aliquid magnum in suo genere, verbi gratia, aliquid valde admirabile, miserabile, atrox, etc.,

([1]) Bossuet, Or. fun. de la duch. d'Orléans: *Nous mourrons tous*, etc. — Cic., pro Lege Man., 7 ; — pro Marcello, 28, 29 ; — pro Milone, 42 ; — pro Muræna, 22.

([2]) Cic., pro Muræna, n^os^ 35, 36; et pro Milone, n° 42. — Massillon, passim; is vero licet persæpe eximie, tamen non ita raro intemperantius quidem.

fuerit rationibus apte comprobatum (hoc enim ad affectus omnino præsupponitur); tunc argumentum affectibus urgeri debet, iisque pro cujusque rei gravitate instandum est (1). Hujus autem modi amplificatio erit arietis instar, validius muro incutientis ictus, aut more tormenti bellici ex quo pulveris vi ferreus cogitur globus erumpere.

Porro magna illa amplificandi industria nudis præceptis exponi vix satis potest. Ciceronem vide, ut alios taceam optimos; quemadmodum rem eamdem multis verset modis! Nunc illam per locos, definitiones, enumerationes, similia, inductiones, adjuncta opposita, causas expandit; nunc per figuras vel interrogando urget, vel quasi interroganti adversario respondet; alius addubitat quid e multis unum, aut quo pacto dicat; sæpe cum iis qui audiunt, sæpe cum adversantibus, aliquando secum ipse deliberat; hominum sermones, consilia, mores, ora graphice describit; inducit personas fictas; exclamat, jocatur, deprecatur, irascitur, etc. Vide *Orator*, c. 40. En a quo disces quis sit locorum usus, quæ figurarum vis ad amplificandum.

Nec idem semper esse debet amplificandi tenor; argumenta modo pressius adhibentur, modo copiosius; modo urgentur et acriter inculcantur, modo explicantur distenduntur que.

(1) Bossuet, Or. fun. de la duch. d'Orl.: *Considérez ces grandes puissances...* — Burrhus à Néron dans *Britannicus*. — Cic., pro Mil., 16, 17, 18, et n° 33; — pro Lig., n° 11, 13, 14, 15, 16; — pro Muræna, n° 49, 50, 51.

Argumenta quæ validissima sunt, non satis est, ut plurimum, si semel amplificentur; sed sæpius ad illa redire proderit, vel ut novis induantur formis, vel ut ex ipsorum efficacia minora fulciantur (1).

Ubi de mediocribus agitur, hæc potius in fasciculum simul congeri solent, ut si seorsim minus valeant, aggregatione roborentur. Ferient enim, si non ut fulmine, saltem ut grandine. Quintil., L. V, c. 12.

Defectus quos vitare debet orator in amplificando.

Hi præcipui sunt :

1° Ne res advocet extraneas, et quæ nihil addant ad vim argumenti. Neque enim juvat fortiter ferire, si extra incudem ferias.

2° Caveat a sterili redundantia, quæ verba vacua potius quam sententias, folia magis edat quam fructus; sunt enim omnia sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et expectatione laudati. Ita Cicero jam maturior factus, de sua *illa pro Roscio juvenili redundantia. Orator*, c. 30. Lege etiam de Orat., L. II, c. 21.

3° Alii nimia exaggeratione utuntur, fidemque vel auferunt, vel non merentur, quia ipsam veritatem induunt specie falsitatis. Utique sane, iis qui ornate ac fervide dicunt, conceditur hoc jus, ut possint *more*, ut aiunt, *oratorio* res exaggerare; at, dum recte se removent ab illa philophica dicendi *scrupulositate*, nefas illis est falsa pro veris obtrudere.

(1) Demosth., pro Corona, de clade Cheronensi. — Cic., pro Ligar., de Tuberone mira varietate loquitur; — pro Mil., 2e parte et in peroratione.

4° Alii toti sunt, dum amplificant, in illis sententiis gravibus quas thesim rhetores vocant, ad hypothesim vero et causam ipsam vix unquam dilabuntur: quo nihil est mendosius [1].

PARS CONTENTIONIS ALTERA.

De Confutatione.

Confutatio seu Reprehensio est pars illa contentionis, in qua diluit orator ea quæ causæ suæ nocere possunt.

Jam vero, ex iis quæ adversari possunt, quædam ita causæ nocent, ut his jam ab initio præpeditus auditor, amicas vel attentas aures accommodare rebus dicendis nequeat. Talia sunt præjudicia nonnulla, insitæque opiniones, quæ nisi evellantur, surdis auribus allidetur orationis fragor. Porro hæc statim amovenda sunt, ut jam alibi monuimus [2].

Alia quædam nascuntur ex oratione ipsa, cum scilicet aliquid in mentem viri prudentis subire potest, quod ipse allatæ probationi tuæ opponat. Hunc illi scrupulum nisi eximas, ægre assentietur, tecumque pugnabit, usque dum telum quod tacitus conjicit, retuderis. Objecta hujusmodi prout occurrunt, juvat suo statim loco diluere.

Quæ ut subodorari queant, recte agunt ii qui, dum suam delineant orationem, simul attexunt quid probationi cuilibet objicere possit non rudis adversarius, idque secum solvere accurate conantur.

[1] Contra hoc vitium *Racine dans les Plaid urs, discours de l'Intimé.*

[2] Cic., pro Muræna, pro Milone.

Alia denique exsurgunt ex tota adversantis causa, atque objectionum quasi corpus efficiunt. Quæ refelli debent, post allata tua, vel singula, vel totius causæ robora.

Non nunquam accidit ut amplior sit confutatio quam ipsa confirmatio, et in ea reponatur tota vis orationis. Tunc in primis utendum iis omnibus quæ in utraque contentionis tractatione præcepta sunt ([1]).

Qua ratione confutandum?

Multam artem postulat confutatio, cum difficilius esse soleat, vulnus obducere, quàm facere. Vide Cic., Partit. Orat., c. 35 ([2]).

1° Quemadmodum aggressoris erat argumenta congerere, ita refutantis erit congesta dividere, ut singula propriæ imbecillitati reddantur.

2° Probationem adversarii diluet, si in hujus argumentatione, ipse vel principium vel conclusionem peccare demonstraverit ([3]).

3° Falsa aperte negabit, vel contentione perrumpet his capitibus: obscuro, incerto, indecoro, incredibili, repugnanti, inutili.

4° Rem factam quidem confitebitur, sed jure factam ostendet.

5° Eos qui auctoritate ac testimonio adversantur, probabit nullius esse nominis, vel fidei parum probatæ, vel in re quæ agitur, non bene versatos.

([1]) Cic., pro Muræna. — Massillon, délai de la Conversion.
([2]) Cic., pro Muræna, egregie refutat Sulpitium, 18 ad 30; et Catonem, 57... — Cic., pro Lege Manil., 31.
([3]) Cic., pro Muræna, n° 78.

6° Adversarium pari vel etiam, si potest, majori lacesset objecto [1].

7° Allata ab adversario aut deprecatione emolliet, aut eludet prætermissione, aut joco, contemptu, indignatione fugabit [2].

Sed tria hæc in primis sedulo observare debet :

1° Difficultatem si ipse præcavet occupatione, eam ne videatur emollire; imo prodest ut profiteatur velle se majorem vim objectioni addere [3]. 2° Omnibus objectis ita respondere curet, ut in mente auditorum nihil dubii, nihil incerti relinquatur. 3° Imperitus omnino esset, si objiceret sibi ea quæ non satis plane posset repellere; vel si objectum quo valde captus est auditor, id subtili nec satis moventi donaret responso. Meminerit autem objectionem vulgo facilius arripi solere, quam responsa quibus eadem diluitur.

ARTICULUS QUARTUS.

De Peroratione.

Peroratio, seu Epilogus est artificiosus orationis exitus; aliis verbis: est pars orationis extrema, in qua id quod tota oratione expetebat orator, majori vehementia, ultimoque conatu evincere contendit.

Hic agitur de causis ejusmodi, ut vere requirantur ad victoriam extrema illa eloquentiæ conamina : sunt enim

(1) Cic., pro Muræna, n° 77.

(2) « *Méchant, c'est bien à vous...* » Josabeth à Mathan dans Athalie.

(3) Cic., pro Lig., 7 ; — pro Mur., 19.

causæ plurimæ in quibus monet ars ipsa simplicius perorare.

Perorationis artificium in eo est, ut orator probationes suas strictim et sapienti quadam confusione recenseat, ac simul inchoatos affectus iterum assumat, augeat atque ad summum perducat ([1]); reservato identidem novo quodam argumento, quo, tanquam fortissimo inexpectatoque ictu, auditorem perdomitet. Vide Cic., de Invent., L. I, c. 52.

Itaque munus duplex habet Epilogus: 1° ut argumenta præcipua resumantur; 2° ut plenissime concitentur affectus, etenim aggressione ultima mensque et animus tentandi sunt.

1° *Enumeratio* (*ἀνακεφαλαίωσις*, *recapitulatio*) colligit ea quæ varie sparsa fuerunt, et uno velut adspectu ponit ob oculos, ut vividius feriant ([2]).

2° Motuum concitatio ita Epilogi propria est, ut hæc pars orationis affectuum sedes appellata sit. Tunc igitur, si unquam alias, omnes eloquentiæ fontes aperire licet, et omnes motus animorum adhibere: qua in re Cicero oratorum omnium facile princeps fuit; peroratione autem miloniana se ipse superavit.

Enumeratio locum fere non habet nisi in magnis causis, et intricatis; imo etiam tum omittitur, ubi mentes auditorum satis convictæ putantur, et ubi vel causa, vel

([1]) Cic., in Verr., de Suppliciis. Sapientem hujusmodi confusionem summis affectibus immixtam considera in illa admirabili peroratione nostri Bossuet, *Oraison funèbre de Condé*.

([2]) Cic., pro Lig., 30: integram demirare perorationem.

ii qui audiunt, se potius ad motiones accommodant. Ita quondam Tullius ac veteres passim in forensibus, propterea quod fas illis erat judicum misericordiam tentare. Nunc vero in nostrate foro, ubi jus unice consulitur, affectus, nisi probationibus optime freti, nullum robur habent. Idcirco nunquam hæc duo nostris causidicis segreganda sunt : sacri autem oratores in primis illud jus et commodum retinent, ut epilogum integra vi tractare queant.

Epilogi duæ sunt virtutes: brevitas et acrimonia; prior id urget quod intendit orator dum calet adhuc auditoris voluntas; posterior infiget ob eumdem finem, relinquitque motionum aculeos.

Ad brevitatem quod spectat, non omnia, ait Tullius, de Invent., L. I, c. 17, minima repetet, sed brevia singula attingens, pondera rerum ipsa comprehendet. Brevitas tamen illa non tam ex verborum numero, quam ex rei necessitate computanda est.

Maximi momenti est præsentire quandonam finis orationi imponendus sit. Alii in hoc loco, sermone inutili utuntur, ac verba protrahunt cum audientium fastidio et frigore; male alii necessariis parcunt motibus, et eos qui audiunt sine ardore relinquunt. Licet rarissime desinere veluti ex abrupto; juvat tamen, si fervidissimus orator motum adhibeat ita vehementem, ut permultis æquipolleat aliis.

PARS QUARTA.

DE ACTIONE SEU PRONUNCIATIONE.

Est actio quasi corporis quædam eloquentia, cum constet e voce atque motu. Cic., *Orator*, c. 17.

Actio, inquit idem de Orat., L. III, c. 56, in dicendo una dominatur, sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris, hac instructus, sommos sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias.

Et re quidem vera, affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant. Ideo summorum oratorum qui vixere, magna pars abest, quia leguntur potius quam audiuntur. Excitat autem, qui cum actione dicit, spiritu ipso; nec imagine rerum et ambitu, sed ipsis rebus incendit; vivunt enim omnia et moventur, in eo cujus vox et actio decora et vehemens est; habet denique hanc vim oratio palam dicta, quia totius hominis quoddam opus est. Vide Quintil., L. X, c. 1 et c. 3.

Non tam refert igitur, qualia sunt quæ dicas, quam quomodo dicas; quod ut probet experientia, advertit Tullius etiam infantes, actionis dignitate, eloquentiæ sæpe fructum tulisse; disertos vero deformitate agendi multos infantes putatos fuisse. Vide *Orator*, c. 17. Etenim mediocris oratio, commendata viribus actionis, plus

habitura est momenti, quam optima actione destituta.

Porro rem tanti pretii iis qui publice dicturi sunt, natura præstat, diligentia mirum in modum auget.

Oratori, ut apta cum actione dicat, tria exercitanda sunt : Memoria, Pronunciatio, Gestus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Memoria in oratore.

Memoria, quatenus inservit oratori, vocata est Eloquentiæ thesaurus. Et revera totus orationis adhuc inanis est labor, nisi cæteræ partes hoc veluti spiritu continentur. Quint., L. XI, c. 2. At ipsa est etiam quasi fundamentum actionis; hujusque vis et gratia multa ex parte aut penitus disperεat necesse est, si memoria titubet vel deficiat. Egregius orator *Massillon*, cuidam interroganti quænam suarum orationum sibi excellentissima videretur, respondit eam esse, quam certiori memoria teneret.

Memoria oratoria, juxta Tullium, est firma animi rerum ac verborum ad inventionem perceptio. Mentem suam clarius in his verbis idem Tullius explicat; de Oratore, Lib. II, c. 87.

« Qui sit tamen oratori memoriæ fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? Tenere quæ didiceris in accipienda causa, quæ ipse cogitaveris? Omnes fixas esse in animo sententias, omnem descriptum verborum apparatum? Ita audire eum unde discas, vel eum cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo vi-

« deantur inscribere? » Hic Cicero mihi quidem videtur duplicem memoriam distinxisse : alteram quæ res tantum, argumenta atque sententias; alteram quæ verborum etiam apparatum servat ad tempus ubi orandum est. Ad priorem memoriam reduci potest illa quam vocamus *extemporalem eloquentiam*. Præclarissimus enim et vere mirificus memoriæ usus est, ut quis, dicens ex improviso, egregie tamen dicat; sed in plerisque eorum qui hoc veluti miraculum tentant, si crescere solet affectuum ardor, solet etiam deficere rerum luciditas et accurata tractatio.

Non potest, fateor equidem, summus ille orator esse, cujus memoriam ad omnia et singula verba alligari necesse est; vix enim unquam poterit quæcumque ad causam prodesse queunt providere, cum multa sint quæ pendeant ex re nata et ex audientium præsenti dispositione; multis tamen natura negat, ut valeant subito simul et apto eloquio dicere : hisque præstat verba præparata dicere, quam aut indecora aut nulla.

Adde id quod in eloquentia sacra valet plurimum, videlicet extemporalem plerumque oratorem, cum jam ætate refriguit animus, fieri dicendi impotem, nisi orationes igne juventutis calentes scripto reservaverit.

Denique nonnullorum ita facilis est ac tenax verborum recordatio, ut sint dicentibus ex inopinato similes; porro hi, dum verba scribunt, si vi simul imaginandi sentiendique optime polleant, habebunt elocutionem quæ sit, et ad docendum delectandumque tutior, et sæpe etiam ad movendum aptior.

Utraque ergo memoria eloquentiæ utilissima est, nihilque exclusive præcipi decet in genere; singulorum est sua uti natura. Vide Quintil., L. XI, c. 2 in fine.

Hoc autem tenendum prorsus est, neminem unquam ex improviso feliciter dicturum fore, nisi diu antea et accurate scripserit, diuque coegerit memoriam summos oratorum poetarumque locos fideliter retinere. Exercenda est memoria, ait Tullius, de Orat., L. I, c. 4, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. Et Fabius, Lib. X, c. 7, § 1 : Maximus studiorum fructus est, et velut præmium quoddam amplissimum longi laboris, ex tempore dicendi facultas.

Verum orator ita rite præparatus tunc aliquando audeat, nec viam judicet inaccessam, quia initio perarduam; non enim revelatur et aperitur nisi audacibus.

Attamen audax nimium esset ac plane improbandus, qui de re non parata vellet subito dicere; neque hæc profecto est illa quam sapientes laudant, extemporalis eloquentia; sed eam solummodo probant, quæ, rebus mature cogitatis, verba tantum ad orantis vim ardoremque relinquit : imo tum etiam motus præcipuos figurasque exactius adumbrasse oportet; ac vidisse quibus sæpe verbis sint dicenda præclariora, atque in primis exordium. De hac re consule Cic., de Orat., L. I, c. 33; Quintil., L. X, c. 7; *Fénelon, 2e dialogue sur l'Eloquence.*

Jam vero de ipsa arte memoriæ multa disserere superfluum est; siquidem in ea valeat plus natura, quam præcepta.

Maxima ars memoriæ, exercitatio : nihil enim æquo

vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Meminerint juvenes hanc tanti pretii facultatem tum desiderari solere, cum vix ullum restat malo remedium.

Nulla fere memoria, præsertim in juventute, tam rebellis aut fugax aut incerta est, quæ labore capax et firma effici non queat.

Multa ediscere, et, si fieri potest, quotidie, potentissimum est; unde iis qui sapiunt *nulla dies sine linea.*

Minime fidelis, recens memoria; huic igitur nullo modo fidendum, ubi declamandum est. Eidem favet exercitatio matutina; quanquam valde proderit etiam rem ipsam sub noctem delibare, ut noctu oratio in cerebro veluti concoquatur, mirum enim dictu est quantum nox interposita afferat firmitatis. Quintil., L. XI, c. 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Pronunciatione oratoria.

Est pronunciatio apta ad persuadendum vocis moderatio.

Mira est, ait Cicero, quædam natura vocis: cujus quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit et tam suavis varietas in cantibus. *Orator*, c. 17. Sed illud idem mire valet etiam in eloquentia. Ab illa, quasi corporis auribus, anima se capi patitur, et quod de catenis aureis finxere veteres, id suam in eloquentia veritatem habet. Vix igitur dici potest quantum vocis intentio, remissio, flexus pertineant ad excitandos affectus. Etenim omnis motus animi, ut observat Tullius, de

Orat., L. III, c. 57, suum quemdam a natura habet vultum, et sonum, et gestum; totumque corpus hominis et ejus vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant ut a motu animi sunt pulsæ.

Quare sedulo est oratori incumbendum, ut artem bene pronunciandi possideat. At, judice Tullio, vocis, et spiritus, et totius corporis, et ipsius linguæ motus et exercitationes, non tam artis indigent quam laboris. De Orat., L. I, c. 34.

Quatuor tamen leges de pronunciationis exercitio dari possunt.

1ª Ut sit *dilucida* et *articulata*.

Non satis credunt qui incipiunt, quam exacte omnes in publico syllabæ feriendæ sint; potissima autem sollicitudo debet esse tum de monosyllabis, tum de extremis vocum particulis.

Vox respiratione sæpe recreatur, et attendat intelligenter is qui dicit, ad periodorum moras.

In motu promptum sit os, et animo plenum, non præceps tamen; in aliis rebus moderatum, non lentum. Quintil., L. XI, c. 3, § 3.

2ª Ut sit *emendata*, id est, in qua nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet. Hæc enim eos qui audiunt, vel molestant vel saltem distrahunt. Caveat tamen orator, tum ab exquisitiori concinnitate, tum ab affectatione mimica.

3ª Est, ut *vox loci amplitudini et auditorum numero sit accommodata*, tum ut lente, tum ut alte pro idoneitate pronunciet. Idcirco cauti oratores locum quem non-

dum experti sunt, vel in antecessum invisunt ac tentant, vel orationis initio præsentiscere non omittunt.

Quicumque tamen sit locus et cœtus, vitandus est clamor ultra vires ac latera, ne latrator videatur, non orator.

4° Denique est, ut *vox sit varia* pro rerum et affectuum, imo sæpe verborum etiam, varietate.

Ad hoc obtinendum, est imitanda natura, quæ aliam vocem tribuit irato, aliam supplicanti, aliam narranti, mœsto aut hilari aliam... At decenti gravitate imitanda est.

In omni voce, ait Tullius, est quoddam medium; sed suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem utile et suave est; et idem illud ad firmandum vocem salutare. De Orat., L. III, c. 61.

Vox in exordio solet esse verecunda et pacata, quæ brevem cogitationi moram concedat.

Est in narrando aperta et simplex, in argumentando acer et pressa, in motu et peroratione excitata; in reliquis, ad nobilis cujusdam sermocinationis instar potius ordinatur. Audi Fénélon : *Plus l'action et la voix paraissent familières dans les endroits où l'on ne fait qu'instruire, que raconter, que s'insinuer, plus préparent-elles de surprise et d'émotion pour les endroits où elles s'élèveront à un enthousiasme soudain.* (Dialogue.) *Ne faites point comme ces mauvais orateurs qui veulent toujours déclamer et ne jamais parler à leurs auditeurs. Il faut au contraire que chacun de vos auditeurs s'imagine que vous parlez à lui en particulier. Voilà à quoi servent les tons naturels, familiers, insinuants.* (Ib.)

Huic varietati e diametro opponitur semper idem ille

insulsusque vocis tenor quem μονοτονίαν vocant, quique audientes exanimat. Opponitur et cantus ille, jugiter eodem circuitu suam librans hinc inde næniam.

Tibi, si vivide quod dicturus es senseris, sine dubio apta erit vox. Usque adeo verum est *pectus esse quod disertos facit!*

Juvabit tirones, quasi familiari pronunciatione primum exponere quod declamaturi sunt : ita facilius naturam arripient. Dein, ubi actionem veluti primis lineis adornaverint, licebit vocem attollere et majores, si poscat res, inducere spiritus. Vide quomodo pronunciandum sit exordium milonianum. Quintil., L. XI, c. 3, § 3.

Eos qui obscura aut exili voce donati sunt, monebimus vocem exercitatione et usu clarescere ac roborari solere. Vocis quidem bonitas, ait Cic., *Orator*, c. 18, optanda est; non est enim in nobis, sed tractatio atque usus in nobis. Et de Oratore, L. III, c. 60 : Ad actionis usum atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet; quæ primum est optanda nobis; deinde, quæcumque erit, ea tuenda. Quid Demosthenes egerit, conatibusque obtinuerit, vide apud Cic., de Orat., L. I, c. 61.

ARTICULUS TERTIUS.

De Gestu.

Gestus est actio quædam ac pronunciatio corporis.

Vocis comes gestus est, qui varios et ipse animi sensus aptissime aperit : vox aures movet, gestus oculos, et per utrumque sensum omnis ad animum penetrat affectus.

In gestu informando unica fere lex est, ut juvenes frequenter dicant. Sed ut ipsi sentiant quid agendum, quidve cavendum sit, multum juvat audire bonos oratores, nonnunquam etiam malos. Cæterum non tam alienam quisque naturam quam suam interroget, cum proprius omnino singulis gestus suus esse debeat. Quemadmodum enim vestes, huic aptatæ quidem, illi male convenient; ita gestus qui in uno oratore laudatur, in alio sæpe displicebit.

Cavendum est in genere : 1° ne per excessum, 2° ne per defectum peccet gestus.

1° Per excessum peccabit si nimium sit mimicus : non omnis enim motus qui mimum decet, aptus est oratoriæ gravitati.

Itaque rejicitur ab oratore illa actio vultuosa aut gesticulatior, quæ rem etiam absque verbis declarat. Verba ipsa oratoris debent sententias exprimere ; gestuum autem solum munus erit moderatam addere significationem.

Item, ait Quintilian., L. XI, c. 4, oratorius gestus non persequetur omnes argutias ; neque erit perpetua brachiorum agitatio, motusque corporis semper inquies.

Denique, quidquid effeminatum, quidquid nimis exquisitum est vitabit, ne putidæ affectationis argui queat.

2° Gestus peccabit per defectum, si durus aut agrestis sit ; si frigidus ac semper idem ; si incertus, nihilque addens ad sententiæ declarationem.

De omnibus gestibus singillatim dicere, infinitum sit ac pene inutile. Alii rem indicant, alii naturam objectorum imitantur, alii exprimunt affectus ; pertinet autem

ad sensum cujusque revelare qui et quales esse debeant; ad exercitationem vero, eosdem perficere. Pauca tamen ac præcipua delibabimus. Lege Cic., *Orator*, c. 18.

Gestus respicit : 1° totius corporis habitum, 2° caput ac vultum, 3° manus et brachia.

1° Corporis habitus ac status debet esse firmus et stabilis ; vitium est tamen obrigere, statuæ instar.

Dedecet humeros jactare, vel attollere, vel contrahere.

Fortis sit ac virilis laterum inflexio ; neve orator incomposite aut vehementius se agitet. Pedes sint æqui, et paululum diducti ; vel procedens minimo momento sinister, ita tamen ut corpus non pede uno inniti videatur.

2° Capitis motus mirifice affectiones exprimunt : erectum miratur ; obstipum timet ; inclinatum ad dexteram vel ad sinistram indignatur vel contemnit ; inclinatum pariter sed levius, miseretur, obsecrat; firmum ac certum, affirmat, confundit, provocat, hortatur, etc... Vitiosa est capitis jactatio frequentior. At vultus est qui secundum vocem potest plurimum ; nam in ore sunt omnia : in eo autem ipso, dominatus oculorum. Animi est enim omnis actio ; et imago animi, vultus ; indices, oculi. Quorum tum intensione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate, motus animorum significamus. Cic., de Orat., L. III, c. 59.

Oculi sunt igitur, per quos maxime animus emanat. Quintil., L. XI, c. 3. Supercilia autem quæ oculos formant, simul aliquatenus fronti imperant, quo et ipsa magis affectus exprimat. Nam frons exporrecta indicium est hilaritatis ; serena, pacis ; corrugata, severitatis, etc.

Oculi maxime gestum corporis sequi debent, nisi caput avertas horrore, aut magno contemptu.

3° Manus, sine quibus actio trunca prorsus esset ac debilis, vix dici potest quot motus habeant. His pollicemur, vocamus, poscimus; his dimittimus, minamur, abominamur, timemus, interrogamus, negamus; his gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus declaramus, etc. Vide Quintil., L. XI, c. 3.

Manus in exordio non solent latius extendi : gestus tum rarus et brevis; et, ubicumque sedatus esse debet, potius ante pectus habetur. Dextera, si sola agat, optime a sinistro latere incipit. Sinistra vix unquam sola gestum recte facit; sed dexteræ se frequenter consociat.

Gestus manuum quicumque sit, quiescere non debet, nisi cum periodi fine; sed sustinendus est, ac decenter connectendus.

Non excedat oculos, nec infra ilia deprimatur, nisi forte in summis affectibus. Vix unquam caput superascendat.

Index vibratus, reliquis digitis intra manum densis, parum dignitatis habet. Vola naturaliter plana vulgo sit; digiti, nec pressi, nec nimium sejuncti; pugnum contrahere non decet oratorem.

Brachia ne rigeant, nec corpus premant cubitis. Dexterum, si solum sit, licet proferre liberius, et in contentione porrigere.

In gestibus iis qui res ipsas imitatione significant, maxime cavendum est a ridiculo, sed consulenda dignitas oratoria. Vide Quintil., L. XI, c. 3, 54.

Enumerationis partes, si sola dextera utaris, distingues a læva in sinistram partem, per locorum modica intervalla. Supplicabis manibus elatis vel junctis ; urgebis crebra manuum impressione ; contraria secernes, manus modo hinc modo inde transferendo ; confirmabis manu prona, expones supina, mitigabis leniter elata, hortaberis obliqua, etc. , etc.

Hæc de actione ; hæc de tota dicendi arte.

—o—

Coronidis autem gratia, juvat aliquid adnectere : 1° de orationis informatione ; 2° de analysi oratoria.

I. *De informatione orationis.*

Orationis informatio seu *delineatio* (le PLAN d'un discours), est labor ille quo quis orationis compaginem veluti ædificans, finem quem intendit cum rationibus seu mediis comparat brevi compendio.

Dotes bonæ informationis nihil fere aliud sunt, quam ipsius tum propositionis tum partitionis dotes.

1° Enim debet esse *justa, plena* et *adæquata*, ita ut omnia ad totum et solum finem tendant; proindeque nihil necessarium fini desit, nihil adsit superfluum aut extraneum.

2° Debet esse *simplex*, ita scilicet ut rationes, licet multæ ac variæ, ad pauca quædam capita redigantur.

3° Debet esse *fecunda*, ut sit veluti situs quidam vastissime patens ad aspectum ; ideoque familiam quamdam in se contineat argumentorum, affectuum, factorum, descriptionum, sententiarum, etc.

4° *Una* sit oportet ; ita ut omnia inter se connectantur, ac se invicem fulciant, protegant, corroborent, atque universa quasi instructa acie ad finem vergant.

Perfectissima unitas erit, si tota oratio in unico syllogismo includatur, cujus major propositio per thesim in exordio, minor per hypothesim in corpore orationis, conclusio jam indicata in propositione, iterum cum motu in peroratione appareat.

Ex his patet necessarium in primis esse, ut præcipuus orationis scopus semper præ oculis habeatur : tunc enim res omnes in eum ordinem redigentur, qui huic scopo maxime accommodabitur.

Sed hæc fieri non posse sine accurata meditatione, nemo non videt. Ideo diu perpendenda est orationis informatio, et quo quis maturius eam indagabit, eo breviori se labore expediet.

II. *De analysi oratoria.*

Analysis est exercitatio quædam, in qua investigatur quæ et qualis sit orationis cujuslibet informatio.

Nihil autem hujusmodi opere juvenibus eloquentiæ alumnis utilius, ut per viva summorum oratorum præcepta, genuinam dicendi artem ediscant.

Analysis duas partes habet : 1° Quæritur quid orator egerit, 2° utrum recte et ad normam præceptorum.

1° Investigatur quid orator egerit, id est qua usus sit adumbratione. Præmisso igitur, si opus sit, historico causæ argumento, primum quæritur unde sumptum exordium, quis orationis finis sive propositio; deinde utrum divisio adsit, et qualis sit; tum quibus argumen-

tis et argumentationibus partes singulæ firmatæ; qua simul ratione objecta adversarii vel seposita vel disrupta; demum quæ peroratio.

2° Perpenditur et explicatur qua laude digna sit rerum series; utrum servatæ leges inventionis, dispositionis, elocutionis; et quid emineat in moribus exprimendis, in decoro servando, in tractandis affectibus, in ornando stylo.

Porro hæc duo interdum exponuntur separatim; interdum, pro rei idoneitate, commiscentur.

Analysis conficiendæ duplex ratio est; una enim fit, dictione simplicior, et in qua rerum ordo potissimum eluceat. Ibi, quidquid in oratione notatu dignum est, juste, præcise, acute judicatur.

Fit altera, verbis ornatior magisque ad formam oratoriam disposita, in qua scilicet, ex admiratione exemplaris, stylus laudantis assurgat.

Priorem modum frequentare solet esse utilius : eo enim potissimum exercitio, surripiunt juvenes sua oratoribus secreta suscitantque in se ignem eloquentiæ.

Vide apud Tullium analysim orationis Antonii pro M. Aquilio; de Orat., L. II, c. 47 ad 50.

Habent itaque studiosi juvenes communia rhetoricæ præcepta quibus adjuvari posse per nos videbantur; quorum cognitio eis, si non magnam utilitatem afferet, at certe, quod magis petimus, bonam voluntatem. Ad id enim utilissima quæque breviter exposuimus, ut consta-

ret non *nasci* oratorem, sed *fieri;* naturamque vel optimam ad hoc non satis potentem esse, nisi accedat, cum summorum oratorum pertractatione, diuturnus labor et usus. Eloquentiam sane rem unam esse omnium difficillimam ipsamet historia testatur. Etenim, ait Tullius, in oratore acumen dialecticorum, sententiæ philosophorum, verba prope poetarum, vox tragœdorum, gestus pene summorum actorum est requirendus; quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore. De Orat., L. I, c. 28. Hanc tamen dicendi facultatem pro virili parte in se excitare ac fovere non pigebit quemquam eorum, qui consideraverint quantum tandem ipsa inter mortales pro bono privato publicoque valere possit. De eloquentiæ abusu et utilitate, vide Cic., de Invent., L. I, c. 1, 3, 4.

FINIS.

INDEX RERUM

Ita dispositus, ut omnia quæ de arte oratoria quæri solent a rhetoricis, ordine complectatur.

FINIS INDICIS.